

H. iur. 1 num. 3

22

DISPUTATIO IURIDICA

DE

IVRE PRIVATO POPVLI ROMANI

QVAM

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS

CONSENSV

P R A E S E S

D. CAROLVS ANTONIVS KEVFFEL

IN IVLEO MAIORI

A. D. XIII APRILIS MDCCCLXV

PUBLICAE ERUDITORVM DISQVISITIONI

SVRMITTIT

R E S P O N D E N T E

FRANCISCO VLRICO ALBAVM


HAMBVRGENSI

SOCIET. TEAT. DVC. MEMBR. ORDINARIO.

HELMSTADII

EDITIE VID. F. D. SCHNORRII, AGAB. TYPOGR.





ILLVSTRISSIMIS VIRIS

DOMINO

I V S T O H E N R I C O
DE BOETTICHER

DYNASTAE IN HELMSTED ET LINDEN
ADMINISTRO STATVS INTIMO CVRIAЕ PROVINCIALIS

I V S T I T I A B S V P R E M O I V D I C I
RELL.

DOMINO

H E N R I C O B E R N H A R D O
DE SCHLIEDESTEDT

DYNASTAE IN SCHLIEDESTEDT KVBLINGEN
ET HAVS-NEINDORFF
ADMINISTRO STATVS INTIMO ORDINIS
DANEBROGICI EQVITI

RELL.

DOMINO

G E O R G I O S E P T I M O A N D R E A E
DE PRAVN

ADMINISTRO STATVS INTIMO CANCELLARIAE
ET CONSISTORII DVCALIS PRAESIDE
RELL.

DOMINO
ANTONIO VLICO
DE VOELKER

DYNASTAE IN DETTEN ET SCHOEPPAV
ADMINISTRO STATVS INTIMO CAMERAE

OMANALIVM PRAESIDI

RELL.

DOMINO

ALBERTO EMVND GEORGIO
DE MVNCHHAVSEN

DYNASTAE IN OLDENDORF HAYNSPIZ

HEYLIGENCREVZ ET SCHIEBEN

ADMINISTRO STATVS INTIMO ET SUPREMO

AVLAE MARESCHALLO

RELL.

DOMINIS SVIS GRATIOSISSIMIS

ILLVSTRISSIMI VIRI.



I us ciuale docere semper pulchrum
fuisse Romae, auctor est Cicero in
Oratore, et si quaedam erant ar-
tes, quae pro indeole reipublicae
et forma eius speciali, plus dignitatis atque lau-
dis habebant. Gens bellicosa, quae inter arma
adoleuerat, et ex illis gloriam querere assueta
erat, cuius potestas ita late patebat, ut terra-
rum orbem complexa esset, virtutes bellicas et
castrenses ceteris omnibus praeferrebat: victori-
bus

bus hostium coronas laureas , supplicationes ad aras deorum , ouationes , triumphos decernebat . Inter artes ciuiles et forenses plurimum gratiae habebat eloquentia . Plena dignitatis res erat , posse consilio atque oratione , et senatus , et populi , et eorum qui res iudicabant mentes permouere , tribunitios furores comprimere , concitatum populum flectere , atque has ob caussas sub libera republica eloquentia semper primas tenuit . Simul tamen statuebant , nihil esse in ciuitate tam diligenter retinendum quam ius ciuile , etenim hoc sublato , vincula utilitatis vi taeque communis reuelli , nihil esse quare exploratum cuiquam possit esse , quid suum aut quid alienum sit ; ideoque viris clarissimis laudi erat elaborare in ea scientia , quac esset multis profutura .

Sequebantur tempora recipublicae , quibus de dignitate et auctoritate iuris ciuilis aliquantum detrahebatur . Obmutescabant in urbe oracula iurisconsultorum , et ciuilis sapientia fiebat

fiebat artificium libertorum. Gentes barbarae
subiiciebant sibi prouincias imperii Romani, et
quamuis profiterentur, se delectari iure Roma-
no viuere, tamen editis breuiariis fontes ipsos
ab vsu remouebant. Tandem post aliquot secu-
lorum decursum pristino splendore effulgere coe-
pit. Proueniebant in Italia doctores quidam
celebres, ius Iustinianum in scholis suis expli-
cantes, ad quos cum maximi concursus fierent
et diffitis quoque regionibus, sensim illud fora et
iudicia occupauit, et litium decisio denuo a iuris
Romani praescriptis pendere coepit, quo factum
est, ut scite illud interpretari, nodos eius sol-
uere, lumen doctrinæ eius accendere, voce illud
præcire, hodie quoque pulchrum sit.

Adspiranti mibi ad facultatem priuatim
docendi iura, et statutis Academiae satisfactu-
ro, necesse fuit edere specimen aliquod doctrinæ
iuris, idque ad disputandum publice proponere.
Consecrando illud **ILLVSTRISSIMIS**
VESTRIS NOMINIBVS, aditum, ne
quid

quid dissimilem, quaero qd VESTRAM,
ILLVSTRISSIMI VIRI, gratiam mibi
conciliandam, VOSque obseruantissime rogo atque
obtestor, vt mibi urbanam, quam Romani dicebant,
militiam affectanti, propitii faueatis, conatus-
que meos gratiose subleuetis. Ego omni animi
contentione in id enitar, vt ad scopum propositum
quotidie magis proficiam, et TANTO-
RVM MAECENATVM patrocinio non
indignus inueniar. Deus quam diutissime VOS
saluos et incolumes praestet. Ita precatur

ILLVSTRISSIMORVM
NOMINVM VESTRORVM

Cultor obseruantissimus
D. CAROLVS ANTONIVS KEVFFEL.



DISPV TATIO IVRIDICA
DE
IVRE PRIVATO
POPVLI ROMANI
PROOEMIVM
DE
CONSTITVTIONE IURIS ROMANI
GENERATIM.



§. I.

I us priuatum est, quod ad singulorum Notio iu-
vtilitatem spectat, l. 1. §. 2. D. de I. et I. ris pri-
consociatio ciuilis enim vtilitatis alicu- uati.
ius caussa coepit institui, et qui iura
praescribunt aliis, in eo vtilitatem ali-
quam spectare debent. GRO T. prol. ad
I. B. et P. §. 16. Vtilitas priuata ciuium
versatur in eo, vt societas minores, ex quibus compon-
nuntur ciuitas, recte constituantur, vt ciues iure suo que-
te fruantur, et tuto illud ab aliis consequantur. Ideo in
A cui-

civitate ferendae sunt leges, mens enim, et animus, et consilium, et sententia civitatis posita est in legibus, c.c. pro Client. c. 53 et iudicia instituta sunt, per quae curetur ut legibus satisfiat; nam illic demum rebus suis ciues tuto possunt confidere, vbi non ex incerto, libero et vago hominum arbitrio res ipsorum pendent, sed iura regnant ac vigent leges, ex quarum tenore res priuatae ac publicae peragantur, litesque disceptentur, iudice SCHVLTING. in Orat. de Iurisprudentia biss. Iurisprudentiae veteri Ante Justinianae subiuncta. Dominum rerum multa exigit praescripta legum, quemadmodum quid cuiusque fiat, aut quemadmodum quis rem vel ius suum conferuerit, aut quomodo alienet aut amittat. I. vlt. D. de legib. Iudicia sic ordinanda sunt, vt iudices modum convenientissimum tractandi caussas obseruare teneantur, et vt columnantium iniquitates per legitimos tramites expellantur. Ad haec omnia cum legum praescriptis opus sit, patet artem legislatoriam esse difficillimam, et quo aptius sancitum est ius priuatum ad utilitatem ciuium promouendam, eo illud esse perfectius.

§. II.

Praestan-
tia iuriis
Rom.

POPVLVS Romanus, vti armorum gloria caeteris gentibus praestitit, ita etiam in iure constitudo tanta sapientia fuit, vt incredibile sit, iudice c.c. de Orat. I. 44, quam sit omne ius ciuale, praeter Romanum, inconditum ac pene ridiculum. Consecuti illud sunt, partim leges prouide ferendo, partim edictis magistratum, interpretationi et responsis prudentum, forique disceptationi non modicam iuris auctoritatem attribuendo, his enim modis effectum est, vt ius omne ad usum fori redderent instructissimum, et ad praescripta legum quod attinet, elaboratissimum. Inprimis etiam actionum formulas

las cante conceperunt, ne aliter ageretur quam oportet, et generatim summopere anni sunt, ut ius civile ad causarum decisionem esset sufficientissimum. Praestantia iuris Romani efficit, vt, cum post aliquot seculorum barbariem rursus in lucem protractum esset, omnium pene nationum homines, ingenio excellentes, ad illud illustrandum certatum se conferrent, nam, vt inquit **E.V.** OTTO in praefat. ad Tom. I. *Thef. Iur. Rom.* vix ab omni hominum memoria, vilae aut obseruatae aut promulgatae occurrabant leges, quae tam certa ratione fluenter ex fonte naturatis honestatis, quaeve, praeter formam artis, omnibus numeris perfectam et absolutam, tantam spirarent aequitatem, elegantiam et rationis pondus. - - Neque unius urbis aut reipublicae iureconsultus hic informatur, sed is, qui apud omnes gentes moratores iura profiteri possit, et ad aendum, et ad cauendum, et ad respondendum peritus.

§. III.

TX eo quod ius civile Romanum successive conditum, et collatis quasi multorum studiis elaboratum est, ^{historica} eritur affectio eius aliqua probe notanda, quam erudite explicavit **ANT. SCHULTING.** in Orat. de *Iurisprud. Historica*, docendo, iurisprudentiam Romanam potiori sui parte historicam esse disciplinam, et in rerum variarum publice sancitarum, vel etiam interpretando receptarum atque visitatarum cognitione consistere. Nam praeter publice sancita, multa inuexerunt interpretatio prudens, disputatio fori, practores, aediles aliisque magistratus, iura adiuuando, suppliendo, corrigendo, sed et oblique non pauca eneruando, et tantum non tollendo. Horum vero omnium notitia est historica. Ipsi Iureconsulti in tradendo iure non aliter praeiuerunt, dum, a quibus, qua de causa, qua occasione quidque constituta

A 2

rum

tum esset; quo pacto nonnulla prioribus postea accessis-
sent scita, quo res nunc in statu consideret, et quae in-
de essent consequentia, distincte ac diligenter enarrarunt.
Imperator quoque in Institutionibus multarum nobis re-
rum fontes atque origines aperuit, quae in interpretando
et accommodando iure ad negotia, usui egregie veni-
unt. Prodest etiam nosse, quid quavis actate obtinuerit,
quoque se pacto iurisprudentia in singulis materiis gene-
ratim habuerit. In primis iuris antiqui monumenta fre-
quenter inde planissima euadunt, si quis ex inscriptione
alicuius fragmenti ex vetere consulo, aut constitutionis
occasione, qua quid scriptum sit, odoratus fuerit. His
aliisque argumentis luculenter euincit laudatus auctor,
iurisprudentiam Romanam magna ex parte in cognitione
historica esse positan.

§. IV.

Historia
generalis.

HISTORICA illa iurisprudentia Romana vel genera-
lis est, vniuersi iuris origines, progressus ac vicissitudi-
nes recensens; vel specialis, partis alicuius iuris Romani,
v. g. plebiscitorum fata exponens; vel specialissima, cu-
iuslibet capitis iuris Romani origines et mutations per-
sequens. vid. BRUNQVELL. Diff. praelim. Hist. iuris prac-
missa, §. 45, 46. Generalis quasi fundamenti loco est
praestruenda, et ad iuris Romani prudentiam mente et
memoria comprehendendam, maxime est necessaria.
Eximum studium posuerunt ICti praestantissimi in ea il-
lustranda et perpolienda, eorumque scripta celebratissi-
ma merito in omnium manibus versantur. Nec tamen
reprehendi solent iteratae eiusdem argumenti tractatio-
nes, cum ad maiorem rei illustrationem identidem ali-
quid conferant. Postquam itaque nupera disputatione
inaugurali de iure publico populi Romani, tanquam al-
tera

terea positione iuris egi, fas mihi erit, ad alteram nunc
progredi positionem, et, quomodo in iure priuato con-
dendo versati sint Romani exponere.

§. V.

SOLET iurisprudentia Romana distingui in Anti-Periodi
quam, Mediam et Nouam, praeiente Iustiniano in §. 3. jurispr.
I. de legit. agnat. succ. vbi mediam iurisprudentiam appellat,
quae erat lege XII tabularum ianior, *imperiali autem*
dispositione anterior. Antiqua igitur continebatur sanctio-
nibus duodecim tabularum, et noua Constitutionibus
principum. Conf. **H O F F M A N N** in *bif. iur. L. I. c. I. Per.*
III, Sect. II, p. 45. n. g. Respiciebat hac distinctione iura,
quorum usus erat in iurisprudentia a se composita, non
vero omnem historiae iuris ambitum ea complectebatur.
In illa porro tradenda, cum in primis respiciendum vide-
atur ad statum publicum, unde fluxit diuersa iurispruden-
tiae constitutio, eius vero ratio non satis habetur, si am-
plectimur diuisionem in antiquam, medium et nouam,
siquidem antiqua et media iurisprudentia ab eadem for-
ma reipublicae profecta est, alia diuisione videntur arbit-
rор. Regimen urbis tres habuit vicissitudines, regnum,
libertatem et imperium. His conuenienter historiam iu-
ris priuati in tres periodos dispescam.

PERIODVS I.

IVRISPRUDENTIAE ROMANAЕ
S V B R E G I B V S.

§. I.

STATVM iurisprudentiae Romanae sub regibus ita de- Narratio
scribit **T A C I T U S**, *Annal. III, 26. Nobis Romulus*, ut Taciti.
A 3 libi-

libitum, imperitauerat: dein Numa religionibus et diuino iure populum deuinxit; repertaque quadam a Tullo et Anco: sed praecipuus Servius Tullius sanctior legum fuit, quibus etiam reges obtemperavent. Non alia de re loquitur Tacitus, quam de potestate, qua reges Romanorum in condendo et dicendo iure vbi sunt. Romulus ut libitum imperitauerat. Frequentatuum imperitare videtur innuere usurpationem potestatis, temperationi reipublicae, quae in eius ordinatione placuerat, parum quidem conformem, sed tamen de facto usurpatam, ob quam adeo inuisus factus erat, ut a patribus e medio sublatus esset prohibetur. Tuhi leges de confarreatione matrimonii, de parentum et patronorum potestate. Numa Pompilius, ne simili inuidia oneraretur, religionem iniiciebat animis, fingendo nocturnos congressus cum nympha Egeria, ex cuius monitis hauireret instituenda. Fuit auctor diuini iuris, legumque de parricidio, de termino et fide. Tullus, iudicium de perduellione, vbi semper seruatum, instituit. Servius, audenior factus, plures optimasque leges sanciuit, veluti de iudiciis, de contractibus et delictis, de foenore et acre alieno. Voluit reges quoque obtemperare legibus, et nisi a Tarquinio praeuentus esset, statum popularē introducere voluisse creditur.

§. II.

Narratio. BENE cum illis, quae haec tenus exposita sunt, conspirant, quae de regum Romanorum Potestate tradidion. **Dion.** HAL. lib. X. a pr. Olim quidem, inquit, reges ias petentibus statuebant, et quod illi iustum iudicassent, id pro lege erat. **Hal.** Nondum instructa erat ciuitas legibus civilibus, ad quorum praescripta controversiae ciuium dirimerentur; reges malebant ad potentiam suam reuocare omnia, quam legibus scribendis operam dare, quibus coerceretur arbitri-

bitrium: si ius petebatur, ipsi iudices sedebant, et sententiis a se pronunciatis lites terminabant. Seruius deum aggredebat opus, antecessoribus inacessum, ut esset sanctor legum ciuilium, et iudicia ciuilia iudicibus exercenda demandabat, sed Seruio interempto concidebant eius instituta, et Traquinius Superbus leges e republica tollebat.

§. III.

POMPONIVS in I. 2, §. 1, D. de O. I. primordia iurisprudentialiae Romanae ita edidit. *In iure ciuitatis nostrae populus sine Pomponio certa, sine iure certo primum agere instituit, omniaque manus a regibus gubernabantur.* Manu gubernare denotat ex arbitrio gubernare, et manus hic opponitur iuri et legibus, agit enim Pompon. non de forma reip. Rom. sed de origine iuris ciuilis. vid. HEINECC. Hist. Edictor. I. I. c. 3, §. 5. Sed disputatur an defendi possit quod dicitur: *omnia manus a regibus gubernata esse, cum tot prodierint leges, quae librum conficerent, et fuerunt qui legendum censerent: manu regis aut manu regia.* Mihi probe attendendum videtur quod Pomponius dicit, populum egisse sine lege certa, et iure certo. Quamvis enim leges a regibus rogarerent, pleraeque tamen ad ius publicum pertinebant, nec potestatem suam legibus a se latis restringi patiebantur, seu, ut Taciti verba repetam, leges non erant tales, quibus etiam reges obtemperarent, adeoque manu gubernasse recte dicuntur.

§. IV.

LEGES regias omnes in vnum collectas esse dicit Ius Papirii. Pompon. §. 2 a Sexto Papirio, qui fuit temporibus Superbianum. bi ex principalibus viris. Quem hic Sextum dicit, eum §. 36 Publum appellat. Haec quomodo concilianda sint, variae

variae variorum sunt coniecturae, ex quibus difficile est vnam praeferre ceteris. Accedit quod apud DION. HAL. l. 3, p. 278, Papirio praenomen Caii est. Quod cum verius videatur BACHIO in Hist. Iurispr. Rom. l. I, c. 1, §. 2, §. 6. s. in multis alter sentire iubet de Papirio etusque collectione quam a Pomponio traditum legimus. Dicit enim Papirium collectionem suam non fecisse temporibus Superbi, sed regibus eiusdem demum: non collegisse leges regias omnes, sed eas tantum quae de iure sacro constitutae essent: fuisse pontificem Maximum, quem Pomponius tantum iurisperitum fuisse designat. Reuident haec omnia, qui eum F. C. CONRADI in praef. ad Bynk. opuscula p. 15. statuunt, Dionysium de alio prorsus C. Papirio lequi. Nec obiter attendendum est, quod collectio illa legum regiarum appellata est *ius ciuale Papirianum*. Disputationes de Superbo, Demarathi filio praetermitto.

§. V.

LL. regiae EXACTIS deinde regibus lege tribunicia, pergit exoleue- Pompon. §. 3, omnes leges hae exoleuerunt. Perfcimus hinc, ius ciuale Papirianum continuissime omnino leges ciuiles, nam eas, quae de iure sacro latae erant, exoleuissent, haud facile quis affirmauerit, et de eis non agebat Pomponius, origines iuris civilis expositus. Quod vero leges regias exoleuissent dicit, significat, eas in desuetudinem abiisse, et vim legum amisisse, quod noui magistratus nec illas sibi scriptas putarent, nec ex praescripto earum ius dicerent. Multae earum postea in usum reuocatae sunt, in primis leges Seruui de contractibus, humanae admodum et populares, DION. HAL. l. 5, p. 278, sed tunc valuerunt non ut leges regiae, sed ut mores patrii. Conf. BRVNQVELL in hist. iur. P. I. c. II. §. 2.

PERI-

PERIODVS II.

IVRIS PRUDENTIAE ROMANAЕ
SUB LIBERTATE.

§. I.

LIBERTATEM L. Brutus instituit, eisiendo Tarquini- Certam-
um, et sufficiendo consules annuos, qui summae rei na de iure
praeeflent. Eligebantur illi e patriciis, et ita agere insti- aequo.
tuebant, vt de regia potestate nihil deminutum videretur,
hinc, vt inquit TACIT. *Annal. III, 27,* pulso Tarqui-
nio, aduersum patrum factiones multa populus paravit, tuenda
libertatis et firmandae concordiae. Deuenenerat ad consules
iuris quoque reddendi munus, quod eo facilius pro arbitrio
dicebant, quia spretis regum legibus, pauca erant
quae vim legum obtinerent, et horum ipsorum scientia
penes solos erat patricios. Hinc iterum coepit populus
Romanus incerto magis iure et consuetudine ali, quam
per latam legem, §. 3 de O. I. et, vt antea manu a regi-
bus, ita nunc manu a consulibus gubernabatur. Plebs
et tribuni plebis, imperium illud consulaire liberae ciuitati
non tolerabile esse clamabant, et exaequationem iuris
libertatisque flagirabant. Querelis et dissidiis ut finis in-
ueniretur, C. Terentius Arsa, Trib. pl. A. V., CCXCIII
legem ferebat, vt crearentur quinque viri, legibus de im-
perio consulari scribendis, ne ipsi libidinem ac licentiam
suam pro lege haberent. *liv. III, 9.* sed, quod patres
ei resisterent, perlata non fuit. Hanc incertitudinem iuri-
prope LX, non XX annis passus est populus, notante
SYNKERSHOEKIO in prasterm. *ad l. 2. §. 3. D. de orig.*
iur.

B

§. II.

§. II.

Legatio
ad Grae-
cos.

EXTORQUEBAT tandem lex Terentilla, et taedium diuturnarum turbarum, ut patres consentirent in leges scribendas, sed neminem daturum leges nisi ex patribus aiebant. LIV. III, 31. Ex his fluctibus ut emergerent, A. V. CCC siebat SCUM, cui accessit plebiscitum, ut allegarentur tres viri, qui inclitas leges Solonis describerent, et aliarum Graecarum ciuitatum instituta, mores iuraque noscerent. LIV. l. c. Decem esse missos, error est qui Pomponio obrepit. G. van der MVELEN ad §. 4. de O. I. pag. 42. Graeciae autem appellatione intelligenda est utraque Graecia, tum extra Italiam sita, tum quae erat pars Italiae, magna Graecia dicta, quae celebres habuit legislatores Zaleucum et Charondam. Ad Lacedaemonios profectos esse legatos Romanos, multis argumentis negat E. V. OTTO in praef. ad tom. III Tbef. Iur. Rom. nec tamen in eam sententiam se trahi passus est BACH. Hist. Iur. Rom. l. I, c. 2, sect. 2, §. 4, not. m. Notarunt aliqui tanquam naevum insignem legislationis Romanae, quod leges peregrinas in rem publicam sua introduxerunt, declamationibus potius vti, quam quod accurate omnia penitauerint. Non reprobandum est consilium eorum, qui in usus ciuitatis suae conuerrunt, quae apud alios salutiter instituta deprehenduntur, et recte poterant ab extensis, quibus eadem reipublicae forma, legum aequilibrium exempla peti. In primis considerandum, quod in pertinaci patriciorum et plebeiorum dissensione, neutra parte alteri cedente, negotium non aliter exitum habere poterat.

LL. XII.
Tab.

§. III.

POST redditum legatorum, legibus scribendis decem creabantur viri omnes patricii, et, ne esset facultas intercedendi, omnes alii magistratus cessabant. Adsciebant

bant socium laboris et interpretem, non sermonis, sed legum Graecarum, Hermodorum, exsulem Ephesinum, de quo vid. HOFFMANN bish. iur. rom. L. I. c. 1. Period. 2. f. I. §. 2. et leges a se compositas decem tabulis includebant, quas pro rostris populo examinandas proponebant, cumque satis correctae viderentur, centuriatis comitiis perlatae sunt. Vero similius est, tabulas fuisse roboreas quam eboreas. Adiiciebant anno sequenti duae tabulae, quasi in supplementum priorum. Eis nondum perlatis, cum decemuiris abrogatum esset imperium, consules leges decemuirales, quibus tabulis duodecim est nomen, in aes incisæ in publico proposuerunt. LIV. III, 57.

§. IV.

L E G E S XII Tab. non in tempus aliquod, sed per- Sunt fons
petuae utilitatis causa in aeternum latae erant, et in comitiis iur. Rom. centuriatis iussæ, plenam vim corporis iuris Romani habebant, vnde petenda erat eius quod in ciuitate iustum vel iniustum esset scientia. Hanc vim atque potestatem retinuerunt per omnia reipublicae tempora, vnde LIV. III, 34 de suo adhuc aeuo scribit: *qui nunc quoque in hoc immenso
siliarum super alias aceruatarum cumulo, fons omnis publici
priuatique est iuris.* Notitia legum decemuirialium adeo necessaria erat omnibus in foro versataris, ut pueri eas memoriae mandare iuberentur. *Disebanus pueri XII.* ut carmen necessarium, inquit circ. de Leg. II, 23. Addit ramen mox: *quas iam nemo dicit.* Sua enim aerae plures maluisse iuris disciplinam ex edicto praetoris haurire, docet de Leg. I, 5. Non ergo a praetoris edicto, ut plerique nunc, neque a XII Tabulis, ut superiores, sed penitus ex intima philosophia hauriendam iuris disciplinam putas. Scilicet semper reperiuntur, qui idem sentiunt cum illo apud GELL. XVI, 10. *Studium scientiamque ego praefbare debo iuris
et legum, vocumque earum quibus utinam.*

E 2

§. V.

§. V.

Origo iuri
ris for-
mularii.

CVM leges decemuirales in ciuitate essent, non amplius integrum erat patriciis ius ex arbitrio reddere, licetiam enim coercebat legis scriptae auctoritas; prospicendum tamen censebant, ne amitterent regnum iudiciale, in quo tantopere sibi placebant. Aggregababant iraque modum persequendi ius suum in iudicio, et ex legibus decemuiralibus componebant actiones, quas, ne populus prout vellat institueret, certas solennesque esse volebant. *I. 2, §. 6 de O. I.* Consistebant autem solennitates in eo, quod praeter rationem dierum habendam, actiones adstrictae essent certis formulis, necessario adhibendis ab iis, qui apud iudicem experientur: qui enim non, quemadmodum oportebat, ageret, caussa cadebat. Dierum ratio a pontificibus petenda erat, qui fastorum curam habebant. Posset agi lege nec ne, pauci quondam fecerant, fastos enim vulgo non babebant. Erant in magna potentia qui confulebantur, a quibus etiam dies tanquam a Chalduis petebantur, sunt verba *cic. pro Muren. c. n.* Pontifices erant e patriciis, horumque honori, commodis et potentiae fauebant. Vtique igitur facile operas coniungebant, ut possessionem antiquam, plebeis de iure respondendi defenderent, ideoque actionum forenium rationes in penetralibus suis abditas tenerent. Et fere populus annis prope centum hac consuetudine vsus est, *§. 6. cit. hoc est* vsque ad publicationem iuris Flauiani. Tandem ad praetorem ius dandi actiones peruenit.

§. VI.

Legis ac-
tiones. FORMVLAE illae solennes, quibus homines inter-
dictae sunt *Legis actiones*, sicuti, qui ius ex lege sibi competens in iudicio persequebatur, lege agere dicebatur, adeoque legis actiones pertinebant tan-
tum

tum ad iurisdictionem contentiosam, quando vel accusamus vel petimus. Constitutae erant formulae de rebus omnibus, sed utrum antiquae illae formulae, quas Cn. Flauium publicasse mox decebitur, aequi iam verbosae fuerint ac postea fuisse constat, vix verosimile haberi potest ob ea, quae legimus apud c.c. pro Muren. c. II. Postquam enim dixerat, Flauium ab ipsis cauris ICtis eorum sapientiam compilasse, pergit: itaque irati illi, quod sunt veriti, ne dieruni ratione peruvulgata et cognita, sine sua opera lege posset agi, notas quasdam composuerunt, ut omnibus in rebus ipsis interessent. Notas componere, nihil aliud significare, quam formulas obscuras et contortas actionum componere, luculenter evincit Cel. ERNESTI Clau. Cic. Ind. Lat. voc. Notae, et ipse Cicero, rem exemplis illustraturus, proponit vindicationis formulam: Fundus, qui est in agro, qui Sabinus vocatur, eum ego ex iure Quiritium meum esse aio. Inde ego te ex iure manu consertum voco. Quodsi ICti, publicatione iuris Flauiani ad iram prouocati, demum formulas istas verbosas compo- fuerunt, actiones ex legibus primitus compositas, etsi solennes fuerunt, tamen alia verborum conceptione con- stituisse censendum est.

§. VII.

ACTIONES legis antiquas, si ita loqui fas est, pro Ius Flani- posuerat, hoc est compilauerat, et ad formam redegerat anum. Appius Claudius, libro, quem Cn. Flauius, scriba eius, subreptum populo tradidit, eoque facto magnam grati- am init. Liber ille, actiones continens, dictus est *Ius ciuile Flauianum*. Videntur iam olim aliqui de vera acta- te Flauii dubitasse, et Appium Claudium, de quo hic sermo est, cum Appio Claudio Decemuiro confusisse, quorum errorem coarguit c.c. ad Attic. VI, 1. Vnum

Ius genov requiris de Cn. Flavio Cn. F. Ille vero ante decemviro non fuit: quippe qui aedilis curulis fuerit: qui magistratus multis annis post decemviro institutus est. De modo publicationis scribit LIV. IX, 46, ius ciuale, repositum in penetralibus pontificum, euulgauit, fastosque circa forum in albo proposuit. VAL. MAX. II, 5, 2, ius ciuale, per multa secula inter sacra ceremoniasque deorum immortalium abditum, solisque pontificibus notum vulgauit, ac fastos pene toto foro exposuit. c. 1. pro Muren. c. u. singularis diebus ediscendos fastos populo proposuit, et ab ipsis cautis jurisconsultis eorum sapientiam compilauit. Minime hinc colligas, quod tanquam magistratum gerens fastos proposuerit.

§. VIII.

Ius Aelia-
nun. **SEQVITVR** apud Pompon. §. 7. *Ius Aelianum*, a Sexto Aelio, qui populo illud dedit, sic appellatum. De eo sic tradunt: vulgatis a Flavio legis actionibus, patres veritos ne sine sua opera lege agi posset, nouas ex cogitasse agendi formulas, easque ne iterum proderentur, signis obscurioribus et forte siglis perscripsisse, quarum interpretationem denuo S. Aelius vulgauerit. Nititur omnis haec assertio loco Ciceronis, quem paulo ante allegauit, quo patres iratos notas composuisse scribit. Sed cum rectius ille explicetur de formulis actionum mouiter excogitatis et verbosius compositis, ipsas has formulas a S. Aelio vulgatas, et hac eius opera ad nos transmissas esse existimandum erit. Pomponius notas non memorat, sed tantum dicit, defuisse quaedam genera agendi, et Aelium alias actiones composuisse.

§. IX.

§. IX.

NON satis habebant patricii ita constrinxisse plebeos, ut sine sua opera lege agere non possent; cupiebant gitimi, etiam aliis nonnullis interesse actibus, ideoque instituebant, ut negotia quaedam, maioris in primis momenti, sine solennitatibus peragere non licet, ne lites propter ea aeternae essent. Sic siebant auctores aetuum legitimorum, qua appellatione veniunt negotia quaecunque solemnia, vel domi inter priuatos, solemni modo rituque, vel apud magistratum, ut hic auctoritatem interponeret suam, peragenda. IAC. GOTHOFREDI *Comment. ad l. 77 D. de R. I.* Huc itaque spectant omnes actus, qui, ut appareat rite illos atque legitime peractos esse, vel solemnem aliquam formulam, ritum aut testes desiderant, vel interpositionem auctoritatis iudicis, ad sui firmitatem requirunt. Quoniam itaque nullus hic exercetur iurisdictionis actus, recte quoque actus legitimi celebrantur coram magistratu, iurisdictione contentiosa destituto. Conf. III. RITTER. ad Heinco. Hist. Iur. l. I, §. 46. Quia denique actus hi sunt tales, ut momento perficiantur, et praesens factum contineant, neque temporis procrastinationem, neque conditionem admittunt expressam.

GOTHOFR. l. c.

§. X.

DESIDERABANT LL. XII. Tab. ob breuitatem suam saepe interpretationem, ut vel ad res ipsas transferrentur, Interpre-
vel ex eis deducerentur de quibus diserte non constituerant. tatio pru-
dentialium.
Statim itaque existere incipiebant inter eos, quorum erat de
iure respondere et caussas forenses in se suscipere, qui leges
XII Tab. interpretarentur, partim inuestigando et declaran-
do mentem ipsarum legum, partim ex sententia legum con-
stituendo iura, quae verbis non erant expressa. Qui in
hoc genere elaborabant, dicebantur Prudentes, eorum-
que

que opera efficiebatur, ut fons iuris ad caussas controuer-
tas decidendas plenius accommodaretur, et ubi lex scri-
pta plane non exstaret, quid aqui bonique ratio exigere-
t intelligeretur. Hinc dicuntur Prudentes iura condicisse,
iuris auctores esse, illorum enim responsa velut oracula
totius ciuitatis valebant, et multa perinde accepta sunt
per interpretationem, atque si verbis legis introducta es-
tent. tit. I. de legit. patr. tut. Saepe etiam, quod lati-
us permiserat lex XII Tab. coangustatum auctoritate iura
constituentium. l. 120 D. de V. S. Ceterum illud ius, com-
positum a prudentibus, propria parte aliqua non appella-
tur, sed communi nomine appellatur ius civile. §. 5. de O. I.

§. XI.

Scientia
pruden-
tium,

qui nomen Prudentium tueri vellent, ad respon-
dendum, agendum et cauendum debebant esse eruditii.
Si quaereretur, inquit c. 1. de Orat. I, 48, quisnam iu-
risconsultus vere nominaretur, cum dicerem, qui legum et
confuetudinis eius, qua priuati in ciuitate veterentur, et ad
respondendum, et ad agendum, et ad cauendum peritus esset.
Idem pro Muren. c. 9 appellat urbanam militiam responden-
di, scribendi, cauendi. Nempe agere et scribere poterant
de eodem munere praedicari, ut mox patebit. Respon-
debant Prudentes, informando consulentes quid legibus
et moribus obtineret, quid aequum videretur in causis
iure ciuii non definitis, quaenam esset de iure dissensio.
Scribere dicebantur, cum actionum, stipulationum, te-
stamentorum, aliarumque rerum gerendarum formu-
las adeuntibus praescriberent. Qui harum rerum tantum
periti erant, eos praecones actionum, cantores formula-
rum appellat c. 1. de Orat. I, 55. Denique cauere dice-
bantur, quando consiliis muniebant clientes, ne in nego-
tiis contrahendis caperentur aut fallerentur. Ab hoc mu-
nere, quod ICtis proprium fuit, cauti dicti sunt.

§. XII.

§. XII.

PRIMI illi prudentes, qui leges interpretabantur, Professio in latenti ius ciuale retinere cogitabant, solumque coniuris. sultatoribus vacare malebant, quam discere volentibus se praestare. §. 35 de O. I. postea fuerunt aliqui, qui ad docendum se darent. Et quidem illi, qui consulentibus vacare malebant, vel domi suae in solio sedentes respondebant, vel transverso ambulabant foro, quod erat insigne, eum qui id facheret, facere ciuibus omnibus sui consilii copiam, et ad ita ambulantes, vel in solio sedentes domi, adibant consultatores. c.c. de Orat. III, 33. Dum responsa dabant, simili admittebant discendi cupidos, ut audiret quid responderent, rationemque tradendi et interpretandi iuris annotarent, eumque in finem iuuenes ad ICtos deduci solebant. Ego, inquit c.c. in Laelio c. 1, a patre ita deductus evam ad Scacuolam, sumta virili toga, ut quoad possem et liceret, a senis latere nunquam discederem. De modo docendi scribit in Orat. c. 42, ICtos respondentibus audire sat erat, ut ii qui docerent, nullum fibi ad eam rem tempus ipsi seponerent, sed eodem tempore et discendentibus satisfacerent et consulentibus. Erant alii, qui scientiam iuris publice profitebantur, et studiosos audiendi tempore ad id seposito docebant. Primus id fecit Tib. Coruncanius, quem secutus est Sext. Aelius, cuius etiam Tripertita celebrantur, in usum doctrinae conscripta. Hinc porro saepius legimus, alios aliorum magistros et praecceptores, alios auditores dici. vid. cviac. ad §. 35. de O. I.

§. XIII.

IVNGIT Pompon. §. 5 de O. I. cum interpretatione Disputa- prudentium disputationem fori, et videtur docere volu- tio fori. esse, interpretationem legum decemuiralium necessariam

C

red-

reddidisse disputationem fori, ut prudentium auctoritate definitetur, quid in foro sequendum esset. Disputabant autem prudentes, quando leges decemvirales alii sic, alii alter interpretandas, vel ad res ipsas transferendas esse contendebant, donec tandem rebus mature deliberatis, in communem aliquam sententiam concederent, et sic usum fori stabilirent, accedente, et vim juris tribuente tacita consensio populi. Hinc eiusmodi sententiae prudentium dictae sunt receptae sententiae, ius consensu receptum, post multas variations receptum, ius commentitium, et, quod supra iam notatum est, ius civile. Disputatio itaque fori erat medium, quo prudentes vtebantur ad eruendum sensum, et stabilendum usum legum decemviralium, atque in hunc sensum pridem a doctribus accepta est. Displacet haec explicatio BACHIO in Hist. Iur. Rom. l. 2, c. 2, secc. 5, ubi ita sentire iubet, disputationem fori denotare ius, ex rebus iudicatis, in primis Centumvirorum ortum. Vixit uno argumento, quod CIC. Topic. c. 5 inter partes iuris civilius referit res iudicatas; sed ideo non sunt disputatione fori: item altero, quod Pompon. cit. §. 5. a prudentium auctoritate distinguit disputationem fori; sed hoc non apparet, imo potius ambo coniungit, et mox coepisse dicit legibus decemviralibus latis. Videtur itaque significatus receptus adhuc retinendus.

§. XIV.

Edicta
praetori-
rum.

DISPUTATIO fori et discors interpretatio legum, non potuit non difficultem et impeditam reddere iurisdictionem, hinc factum videtur, ut, cum iuris in urbe dicendi causa praetor crearetur, ille initio magistratus editum proponeret, ut, referente Pompon. §. 10. de O. I. scirent ciues quod ius de quaque re quisque dicturus esset, que

que praemuniret, scilicet aduersus obtristationes eorum, qui inique ius dici criminari potuissent, prudentium sententia in diuersa abeuntibus. Acceperunt edicta vim iuris tacito populi consensu usque fori, ipse enim praetor erat minister legum et summae potestatis. Edicta erant annua, quia munus praetoris erat annum. In illis componentibus saepe totidem verbis ex edictis antecessorum capita transferebant in sua edicta, quae capita dicebantur tralaticia. c. c. ad Fam. III, 8, et ad Attic. V, 21. Quae autem ineundo magistratum edixerant se obseruatuos in iure dicendo, ea per totum annum seruare debebant. Cum vero praetores aliqui, et ut videtur potissimum in provinciis, aliter quam edixerant decernere non dubitassem, id quod Cicero reprehendit in Verre, lata est A. V. 686. Lex Cornelia, vt Praetores ex suis edictis perpetuo (ita enim legendum) ius dicerent, h. e. eo anno, quo magistratum gerebant, ab eo non recederent. Quod vero ante hanc legem, in eandem sententiam Sctum factum esse perhibetur, a viris doctis tanquam spurium reiicitur. Proponebant Praetores edicta sua in Albo, quod quidam denotare dicunt parietem dealbatum, alii tabulam ligneam natui coloris, in qua atris litteris scriberetur edictum, alii denique a litteris albis nomen flectunt, quorum sententiam satis refellit HEINECC. in Hist. Edit. et Edict. perp. I, c. 2, §. 6. Edicta veterum praetorum in bibliotheca templi Traiani afferuata esse, et aliud quid requirentibus in manus incidiisse, memorat GELL. XI, 17.

§. XV.

Ius praetorium in significato proprio opponitur ius prae-
ri civili, quia multum recedit ab eo, quod ex legibus torium.
XII Tab. ortum habet. Et quidem circa leges ita verfa-
batur praetor, vt ius ciuile adiuuareret, suppleret, corri-
geret.

C 2

geret. Dominum vel heredem facere non poterat, nec tamen intra praescripta legum circa dominia substiturus, sub appellationibus nouis bona transferebat. Lex per usucacionem dominium tribuebat, praetor, ubi usucacioni locus non erat, per exceptionem praescriptionis securos praestabat possessores. Lex ad hereditatem multos non vocabat, quos praetor dando bonorum possessionem admittiebat. Cum munus praetoris esset ius dicere, multis proposuit actiones ex legibus non descendentes, sed ex sua iurisdictione comparatas, in rem et in personas, tam rei persecutorias quam poenales §. 3 sijg. I. de act. inuenit adiectitas qualitates, ut actio principalis aduersus eos dirigeretur, qui stricto iure non poterant conueniri. tit. I. quod cum eo. Iubebat stipulations interponi, veluti damni infecti et legatorum, §. 2. I. de Diuis. stipul. dabat contra negotia iure ciuili valida exceptiones dolii mali, quod meritis causa, in factum, aliasque. Denique etiam restitutions in integrum contra ius ciuile strictum dabat. Ob tot discessiones a iure ciuili factum est, ut multi praetorem Romanum euerorem legum fusisse criminarentur, sed vid. G. KORTTE vindicias praetoris Rom. et iuris honorariorum.

§. XVI.

Species
iuris ho-
norarii.

Quoniam ab edictis magistratum manauit ius, dictum est ius honorarium, et quidem iudice Pompon. §. 10. de O. I. quod ab honore praetoris venerat; vel generalius, quod qui honorem gerunt, id est magistratus, auctoritatem huic iuri dederunt, §. 7. I. de I. N. G. et C. Habuit id plures species. Potissimum eius pars erant edicta praetorum, urbani et peregrini, nam et hunc edictum annum proposuisse, satis euicit iuris peritissimus F. C. CONRADI Parerg. I. 1. Proponebant etiam aediles curules edi-

cta

Etia de seruis, iumentis, ceterisque rebus in foro venalibus, et de securitate viarum publicarum. Porro Censores edixerunt de rebus ad curam potestatis suae pertinentibus. Sic apud *LIV.* *XLIII*, 14. iubentur iuniores ex editio censorum ad electum prodire, et e. 16 leguntur censors flammarum inuidiae adiecisse, editio quo edixerunt ne ad bastam suam accederent qui ante aedificalia conduxissent. Quando *C.I.C.* *Verr.* *I*, 55. dicit: Corrigantur leges censoriae. Quid enim? video in multis veteribus legibus: *Cn. Domitius*, *L. Metellus* etc. addiderunt, intelligitur inde, etiam editio censorum capita tralatia habuisse. Denique etiam Tribuni plebis edita proposuerunt, ad ius dicendum, cognoscendumque de appellationibus pertinentia. Refert *C.I.C.* *Verr.* *II*, 41, tribunorum plebis editio non licuisse quenquam Romae esse, qui rei capitalis condemnatus esset, postea autem pronuntiasset: Non videri *Sthenium* impediri editio, quo minus ei liceret Romae esse. Magistratus provinciales edita proposuisse, probatione non egit.

§. XVII.

DE legibus duodecim tabularum scribit *TACIT.* *An-* *Leges*.
nat. *III*, 27. *Compositae XII Tabulae, finis aequi iuris, et*
ius aequum opponit legibus, diffensione ordinum ob
praua per vim latis. Significat itaque, post *XII* tabulas,
comitis centuriatis perlatas, populum vniuersum non
amplius in comitiis iussisse leges ad singulorum utilitatem
spectantes, praeterquam quod aliquando in maleficos ex
delicto leges latae sint. *Ius aequum denotat leges, in*
communem totius populi Romani usum scriptas, et in
usum fori publice sanctitas, quale quondam efflagitauer-
rant tribuni plebis, cum post reges electos per sexaginta
prope annos iure incerto vteretur populus Romanus.
Istiusmodi iuris aequi finis fuerunt XII Tab. nam quae

C 3

postea

postea accesserunt leges singulares, plerumque ab illis tanquam a fonte manarunt, et capita quaedam explicatus proposuerunt. Monuit iam MACROB. *Saturn.* III, 13. duodecim tabularum *vbi contemni antiquitas coepit, eadem illa, quae illis legibus cauebantur, in alia latorum nomina transferunt.* Quum vero tempora ciuitatis, mores, res que ipsae mutationem iuris ciuilis requirunt, iuuabit paucis perstringere leges illas, quibus postea accessiones quaedam factae sunt, atque mutationes obtigerunt.

§ XVIII.

**De iure
personarum**

AD iura personarum pertinet lex *Canuleia*, A. V. 309, de connubio plebeiorum cum patricis, qui derogatum est legi XII Tab. coniunctiones has prohibenti. *Manlia*, A. V. 397, de vicesima eorum qui manumitterentur. *LIV. VII, 16.* Erat autem vicesima manumissionum pars vicesima pecuniae, qua vendi potuissent seruus qui manumittebatur, aerario inferenda et ab ipso manumisso, ut vindetur, pendenda. *Poetelia Papiria*, A. V. 418, pecuniae creditae bona debitoris, non corpus obnoxium esset, qua lege plebi Romanae velut aliud initium libertatis factum est. *LIV. VIII, 28.* Derogatum hac lege XII tabulis. *Attilia*, circa A. V. 443, de dandis a praetore urbano, et maiore parte tribunorum plebis, tutoribus in vrbe pr. I. de *Atil. tut.* *Laetoria*, A. V. 490, quae minoribus XXV annis circumscriptis auxilium tulit, c. 1c. *Offic. III, 15* cum a decemuiris dolus malus tantum vindicatus esset in tutelis. *Julia et Titia*, circa A. V. 723, qua lex Atilia ad prouinciales porrecta est, vt a praesidibus prouinciarum tutores darentur pupillis. pr. I. de *Atil. tut.*

§ XIX.

§. XIX.

DO M I N I V M ex legibus XII Tab. tribuebat etiam v s u s De domi-
au toritas, siue v s u c a p i o , sed furtuarum rerum, ex iis- nio.
dem , aeterna erat auctoritas , vt v s u c a p i non possent.
Repetiuit hoc caput lex *Atinia*, A. V. 557. sed non iisdem
verbis , fanciuit enim : quod subreptum erit , eius rei
aeterna auctoritas esto. *G E L L . XVII*, 7. Latior autem est
subrepti , quam furtui significatio , veluti si vxor amo-
uit. Addidit etiam exceptionem: vt rei furtuae vitium
purgaretur , si in potestatem eius , cui surrepta erit reuer-
tatur. l. 4. §. 6. *D . de V s u c a p .* Ex XII Tabulis tres arbitri
finibus regundis dabantur , si vicini iurgarent , ex lege
Mamilia, circa A. V. 589 singuli arbitri iudicabant. c i c .
de Leg . I, 21. Ex XII Tab. non poterant v s u acquireti serui-
tutes , quia de incorporalibus v s u c a p i e n d i s nihil cauerant,
attamen disputatione ICtorum inducta erat v s u c a p i o ser-
uitutum. Lex *Scribonia*, circa A. V. 719 vetuit seruitutes
v s u c a p e r e . vid. *G A L V A N U S de v s u f r u c t u . XII*, 4.

§. XX.

LI B E R A M legandi potestatem , quae olim lege duo De testa-
decim tabularum erat , tribus legibus coarctatam esse , mensis.
constat ex pr. I. de leg. *Falc.* Lex *Furia* prohibuit plus
quam mille assium legatum capere , *Vlpiian.* tit. I, §. 2,
vel , vt Theophilus dicit , plus quam mille asses legare.
Voconia A. V. 585 sanxit in posterum , ne quis heredem
virginem , neve mulierem faceret , et praeterea vetuit ,
ne , qui census esset , plus cuiquam legaret , quam ad he-
redem heredesue perueniret. c i c . *Verr.* I, c. 42, 43. Tan-
dem lege *Falcidia* , circa A. V. 714 caustum , ne plus lega-
re liceret , quam dodrantem totorum bonorum , atque
sic effectum , ne testamenta amplius destituerentur. De
lege *Cornelia testamentaria* , A. V. 673 , qua caustum fuit
de

de speciebus falsi, quae circa testamenta committuntur, agit **IVL. PAVL.** Sent. Rec. l. 4. tit. 7 et lib. 5, tit. 25. Ea postea ad alia instrumenta, aliasque res producta est. Exitit etiam lex **Cornelia**, aut caput eius aliquod de testamentis captivorum, cuius mentio fit §. 5 **I. quibus non est permis.** et apud **PAVL.** l. 3, tit. 4, §. 8. Auctor eius ignoratur. Memoratur etiam lex **Glicia**, incertae aetatis, quae videtur fuisse testamentaria, sed querelam inofficii testamenti ea introductam fuisse, non sit verosimile. vid. **IANVS A COSTA** ad pr. **I. de inoff. testam.** **BYN-
ERSHOEK** obferu. L. II. C. XII.

§. XXI.

De male- faciū. **CONTRA** maleficia lata est lex **Scatinia**, incertae aetatis, de nefanda venere. **Peducæa** A.V. 641, de incestu. **Cornelia** A.V. 673, de sacerdiis, veneficiis, parricidiis, et de iniuriis in eos, qui quem verberassent, aut pulsassent, domumue alterius vi introissent §. 8. **I. de Injur.** **Plotia** A. V. 665 de vi armatis hominibus, **Lutatia** A.V. 675, de vi, acerbior **Plotia**, quod etiam diebus festis er ludis, quibus iudicia nulla erant, de vi quaeri posset. Complures porro leges contra ambitum latae, **Poetelia**, **Cornelia Baenia**, **Maria**, **Acilia Calpurnia**, **Tullia**: aliae contra alia delicta, quas omnes recensere nimis prolixum forer. Non vero omittenda est lex **Aquilia**, de damno iniuria dato, ex iure nostro satis nota, sed de cuius auctore et aetate non satis certo constat. Dubitatur etiam an eadem sit cum illa lege, quam c. c. in **Bruto** c. 34 Aquilium de iustitia appellat. Illud certius, ab Aquilio tribuno plebis, diuersum esse Gallum Aquilium, Ciceronis familia gem, qui euerriculum malitiarum omnium, iudicium de dolo malo protulit. **de Nat. deor.** III, 30. conf. **EV. OTTO** ad pr. **I. de leg. Aquil.** Atque haec de legibus sufficiant.

§. XXII.

§. XXII.

SENATVM ius facere potuisse, sub libera quidem SCta: republica, vulgo negatur, sed tamen non contemnendis doceri potest argumentis. Pompon. §. 12 de O. I. coniunctum recensens species iuris, quo populus Rom. vteretur, inter eas refert senatusconsultum, quod solum senatu constitutive inducitur sine lege. Accedit c.c. Top. c. 5, vbi enumerans ea, in quibus ius ciuile constat, etiam Senatus-consultum nominat. Nec obstat quod dissentientes vrgent, senatusconsulta intercessionibus tribunorum plebis impediri potuisse, facile enim conceditur, senatum populo inuito leges scribere non potuisse, sed alia est quaestio, annon populo non refragante saepe ius constituerit? Quandoque dubitatum esse, an necesse esset de re aliqua ad populum referri, et quem modum tunc secuti sint, discimus ex clausula SCti, quod COELIVS prescribit ad Ciceronem, Epist. ad Fam. VIII, 8. Si quid en de se ad populum plebemue lato opus esset, ut Coss. Pract. Trib. pl. quibus eorum videretur, ad populum plebemue referrent. Confirmatur idem exemplis SCtorum, sub libera republi- ca de iure priuato constituentium, qualia fuerunt, ne de seruis in dominum quaestio haberetur: ne ad libertatem proclamare liceret ei, qui maior XX annis pretii participandi causa venundari se passus esset: ut centesimae perpetuo focore ducerentur, hoc est, sine anatocismo penderentur. vid. BACH Hist. Iur. Rom. l. 2, c. 2, sect. 2.

§. XXIII.

IUS CIUILE ETIAM IN REBUS IUDICATIS CONSTITITISSE, AUCTOR RES IUDICAT. EST C.C. TOP. C. 5. HOC NOMINE VENIUNT DECISIONES CONCATAE, TROUERSARUM DE IURE, PER SENTENTIAM IUDICIS FACTAE, QUAES, SI DIUTURNO TEMPORIS LAPSI IN EANDEM SENTENTIAM FACTAE

D

sum

sunt, ipso usu fori, licet expressis legum praescriptis non nitantur, tandem eam auctoritatem consequuntur, ut pro iure habeantur, et in similibus casibus similiter iudicetur. Hac ratione apud Romanos peculiarem iuris speciem enatam esse, docemur allegato Ciceronis testimonio, cumque in iudicis centumuiralibus, eodem teste, de *Orat. I*, 38, rerum innumerabilium iura versarentur, res iudicatas potissimum decisionibus centumuirorum constitisse credibile est. A disputatione fori res iudicatas, mea quidem sententia, discernendas esse, supra monui, nec obstat quicquam puto, quominus species peculiares iuris civilis habeantur, et forte in inuestigandis originibus iurum, maior, quam fieri solet, habenda eset ratio rerum apud centumuiros iudicatarum.

§. XXIV.

Mos maiorum.

OBTINEBANT apud Romanos multa, quae ex more maiorum deriuabant, hinc mos maiorum in partibus iuris civilis numeratur *Top. c. 5.* Morum appellatione vindentur venire consuetudines et iura, quae non ex XII tabulis, nec ex alia quadam parte iuris civilis descendebant, sed vel vetustiorem originem habebant, vel contra ius scriptum consensu viuentium recepta erant. Sic ex XII Tab. vindicia in re atque in loco praesenti apud praetorem fiebat. Sed postquam praetores proficiunt vindicarum dicendarum causa in longinquis res grauabantur, institutum est contra XII tabulas, tacito consensu, ut litigantes non in iure apud praetorem manum consererent, sed ex iure manum consertum vocarent GELL. XX, 10. Hoc cum ageretur, vis ac deductio moribus fieri dicebatur. Ita aliquoties loquitur *cic. pro Caecin.* Deinde, quae ex institutis regius obseruabantur, moribus potius, quam legibus tribui placuit, ne aliqua regum auctoritas superesse

esse videretur. Hinc supplicium parricidarum, quod vi-
ni culeo insuti sunt, a maioribus excogitatum dicit CIC.
pro Ros. Amer. c. 25, eademque poena mori maiorum tri-
buntur in l. 9. D. de L. Pomp. de Parric. repertor enim hu-
ius supplicii fuerat rex Tarquinius, VAL. MAX. I, 2, 13, et
ab eo desumum est exemplum parricidis illud irrogandi.
Hinc etiam ius patriae potestatis moribus receptum dici-
tur, quod enim tantum illud erat, ut nulli alii homines
talem in liberos haberent potestatem, a Romulo origi-
nem habebat. cf. EV. OTTO praef. ad tom. IV. Thes. Iur.
Rom. pag. 13. edit. II.

PERIODVS III.

IVRIS PRVDENTIAE ROMANAЕ
S V B IMPERATORIBVS.

SECTIO I.

AB AVGVSTO AD HADRIANVM

§. I.

LIBERTATEM reipublicae Romanae, qua manente suf- Oppressio
fragis S. P. Q. R. summa rerum administrabatur, con- libertatis.
uellere cooperant seditiones Tib. et Caii Gracchorum, a
quibus initium in vrbe Roma ciuilis sanguinis gladiorum-
que impunitatis fuit. VELL. PAT. II, 3. Graianus eandem
concuriebat bellum ciuale, quo inter se confligebantur
Marius, Cinna et Sylla, vrbe certam infestis armis
occupantes, et crudeliter in ciues saeuientes: ex quo,
cum tandem superior discessisset Sylla, per 120 annos
omissam dictaturam arripuit, et primus exemplum pro-
scriptionis inuenit. Id. II, 28. Sequebatur triumviratus
Crafti,

D 2

Crassi, Pompeii et Caesaris, ea lege conciliatus, ne quid ageretur in republica quod displicuisset vlli e tribus. *s v t. Caef. c. 19.* Hac societate morte Crassi dissoluta, Pompeio autem post principatus aemulationem in bellum erumpentem, ex Italia fugato et occiso, Caesar solus rerum potitus est. Tunc vero non honores modo nimios recepit, ut continuum consulatum, perpetuam dictaturam, praefecturamque morum, insuper praenomen Imperatoris, cognomen patris patriae, statuam inter reges, sed et ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est, dixitque, nihil esse rem publicam, appellationem modo sine corpore et specie. *s v t. Caef. c. 76, 77.* Tanto supercilio cum odium publicum incurrisset, et multis plagiis in curia confosus esset, triumuiratum reipublicae constiuitur, qui dicebatur, inibant M. Antonius, M. Lepidus et Caesar Octavianus. Ex his Lepido paullo post potestate omni priuato, Octavianus tantum cum Antonio per duodecim fere annos rem publicam tenebat. Orto autem etiam inter hos bello, pugna ad Aetium, qua ab Antonio victoriam reportabat Octavianus, triumviratu et libertati reipublicae finem afferebat.

§. II.

Lex te-
gia.

STATIM post oppressum Antonium de reddenda republica cogitabat Octavianus, sed Maecenate suafore atque impulsore ne id faceret, ipsoque intelligente rem publicam plurium arbitrio temere committi, in retinenda perseverabat. *s v t. Aug. c. 28.* Senatus populusque favebat translationi imperii in Octavianum. Cum enim, teste DION. lib. 53, habuisset orationem in senatu, se velle deponere summum imperium, senatusque obsecrasset ut vellet iterum suscipere, confirmabatur ei a senatu populoque, et hoc pacto omne populi senatusque imperium

um in Augustum translatum est. Totam illam controvèrsiam de lege regia fuse discutit, eiusque existentiam ab obiectionibus vindicat H V B E R. in *Digress. l. I, c. 16 sqq.* Gradus per quos ad summum fastigium adscendit, sequenti modo se excepérunt. A. V. 727 in septimo consulatu, ex Manucii Planci sententia, nomen Augusti ei datum est, quo tributo, omne imperium ei collatum est, senatusque in eius acta iuravit. A. V. 730 legibus solutus est, et anno 735 potestas ei concessa est emendandi omnia pro arbitrio, et quas vellet leges ferendi. Formula illa imperii in Augustum translati, quae tum decreto illo primario, quo summum imperium ei confirmatum, et nomen Augusti datum fuit constituta, tum accessionibus quibusdam successive aucta est, seculo II dicta est Lex regia in *l. 1. D. de Constit. princ.* Vocatur etiam Lex imperii, *l. 3. C. de testam. et quemadmodum.* Repetebatur in successoribus ad imperium accedentibus, exstatque hodie Romae in Capitolio tabula aenea, exhibens fragmentum legis de imperio Vespasiani, ex quo ipsa capita legis regiae perspicimus. De eo vid. H V B E R. *l. c. cap. 31 sqq.* et Ven. ERNESTI *Excurs. II, ad Tacit.*

§. III.

M V T A T I O formae reipublicae plerumque parit su- Simula-
spiciones et sollicitudines, igitur Augustus simulacra ve- cra liber-
teris libertatis populo callide præbebat, ne rempubli- tatis.
cam mutatam sentiret. Ne potestate insolita ut viderez-
tur, recipiebat honores dudum in rempublicam introdu-
ctos, tribuniciam porestatem, sed perpetuam, morum
regimen aequa perpetuum, proconsulatum, pontifica-
tum maximum. Dictaturam magna vi offerente populo,
deprecatus est: domini appellationem ut maledictum et
opprobrium semper exhorruit. S V E T. Aug. c. 52. Veterum

D 3

rum magistratum nomina , honores , commoda relinquebat , sed vi ac potestate eos desfiruebat . Consulum auctoritatem imminuebat , creando plures in eundem annum , vnde discrimen consulum *ordinariorum* et *suffectorum* . Praetorum numerum augebat , iurisdictionis eorum parte maxima in praefectum vrbi , qui Caesaris magistratus erat , transcripta . Censores et tribunos plebis crebat , sed potestate pristina spoliates . Habantur plane sub Caesare et Augusto comitia populi , sed minus quam olim libera , nam potissima principis arbitrio , quae-
dam studiis tribuum siebant . TACIT. Ann. I, 15. Ratio ipsa comitorum , num sub vtroque fuerit eadem , ambi-
guam haber disceptationem . Caesar *comitia cum populo partitus* est , vt de numero candidatorum , pro parte di-
midia pronunciarentur quos populus vellet : pro altera
parre , quos ipse edidisset . SVET. Caef. c. 41. De Augu-
sto idem scribit c. 40. *Comitorum pristinum ius reduxit*. Per pristinum ius intelligi vult LIPS. Exc. ad Tacit. Ann.
I, 15, non verius illud quod integra liberrate , sed quod a
Julio institutum erat , prouocans ad locum Dion. lib. 53,
quo scribit , Augustum quosdam futuros magistratus de-
signasse , alias populo eligendos permisisse . Sed mo-
dum , quem Augustus fecerit est , pleniū exponit SVET.
Aug. c. 56. Quoties magistratum comitiis intercesset , tribus
eum candidatis suis circumibat , supplicabatque more solenni.
Igitur Augustus candidatos quidem designauit eligendos ,
sed eatenus tantum , vt populi beneficio honores conse-
querentur , adeoque liberiora fuerunt comitia , et ad
pristinum ius proprius accesserant quam sub Julio . Credc
itaque , non satis recte se habere , quae de comitiis sub
Augusto tradit BACH , Hist. Iur. I, 3, c. 1. sect. I, §. 13
et 16.

§. IV.

§. IV.

SERVABAT Augustus porro speciem libertatis etiam Leges in eo, quod leges, quibus ad rempublicam rectius conditae. situendam opus erat, ad populum ferebat, et in comitiis iuberi sinebat. Quae ab ipso latae sunt, legum Iuliarum nomine veniunt, aliae a consilibus denominantur. Magni existimabat Augustus, a colluione seruulis sanguinis incorruptum seruare populum. SVET. c. 40. hinc manumittendi licentia coercebatur duabus legibus Aelia Senta et Fusia Caninia. Sciebat ciues abhorrire a iustis nuptiis, igitur A. V. 736 ferebatur lex Iulia de adulteriis et de pudicitia. Eam mox insequebatur lex Iulia de maritandis ordinibus, sed tum quidem prae tumultu re-eusantium eam perferre non poterat. Pertulit tamen postea, A. V. 757, ademta lenitate parte poenarum, et vacatione triennii data, auctisque praemiis. SVET. c. 34. Vacationem triennii explicat SCHVLTING. ad Vlp. tit. 14. de tempore a quo lex vim suam exfereret. Post Iulias rogationes, A. V. 762 diligentius fancita est lex Papia Poppaea, incitandis coelibum poenis et augendo aerario. TACIT. Ann. III, 25, ob multiplicem usum quem haberet in iurisprudentia Romana, luculentro I. G. HEINECCI commentario illustrata. Plures aliae leges Iuliae ex iure nostro sunt notissimae, de ambitu, de annonae, de peculatu, sacrilegiis et residuis, de vi publica et priuata, lex maiestatis, iudiciorum publicorum et priuatorum, omnes Augusto adscribendae, licet aliqui dissentiant. Praetermitto leges alias tum Iulias, tum aliorum.

§. V.

QVAM DIV Augustus imperabat, et si potissima arbitrio principis, quaedam tamen studiis tribuum siebant SCta, Tibe.

Tiberio ad principatum uestito, e campo comitia ad patres translata sunt, TACIT. Ann. I, 15, et populi iura senatui accreuerunt. Si locum hunc curatius inspicimus, comitia magistratum a Tiberio ad patres translata esse, satis inde manifestum sit, et ex eo tempore expers suffragiorum populus fuisse intelligitur. Sed num idem dicendum sit de comitiis legum, dubitari posse arbitror. Lata est imperante Tiberio, A. V. 772 lex Junia Norbana, de conditione manumissorum, et A. V. 777 lex Vifellia, ne libertini ho-
nores et dignitates assequerentur, l. vn. C. ad l. Visell. la-
tiae et postea sic appellatae leges, quod indicare videtur,
comitia legum serius desisse, nec ab hac sententia alieni,
qui dicas caussa leges adhuc in comitiis rogatas conce-
dunt. Frequentiora tamen quam leges esse coepisse se-
natus consulta, eaque ad orationem vei a principe habi-
tam, vel a quaestore candidato recitatam, nec non ad
epistolam a principe missam facta esse, abunde ab aliis
demonstratum est. Sub Nerone consules relationem in-
cipere non ausi ignaro principe TACIT. Ann. XIII, 26.
Ordinationem comitorum, quae primum principalium
Tiberii operum fuit, mana sua scriptam Augustum reli-
quisse, tradit VELL. PAT. II, 124. De comitis consulari-
bus, quomodo a Tiberio habita sint, nihil firmare au-
det TAC. Ann. I, c. vlt. Vitellius Caesar comitia consul-
lum cum candidatis ciuiliter celebravit. ID. Hist. II, 91.
hoc est, cum candidatis circumiens et prensans patres
vid. GRONOV. in not. Senatus consulta, hoc interuallu
facta, recenset BACH. Hist. Iur. l. 3, c. 1. sect. 3.

§. VI.

Comitatu- **POTESTATE** omni per legem regiam principi et in
siones **principem** a populo concessa, orta est noua species iuris
principium ciuilis, ut, quod principi placebat, siue per epistolam
et

et subscriptionem statueret, sive cognoscens decerneret, sive de plano interlocutus esset, sive edito preecepisset, legis haberet vigorem. Haec sunt quae Constitutiones appellantur. *I. i. §. i. D. de Conf. princ.* Diuiduntur constitutiones in Rescripta, Decreta, Edicta et Mandata tot. tit. *C. de Mandat. princip.* Rescripta siebant vel ad libellos priuatorum, vel ad relationes magistratum, vel ad desideria vniuersitatum, hinc ius vniuersale non faciebant. Decreta decidebant controversias causa cognita, hinc inter partes tantum ius faciebant. Edicta principum erant constitutiones, quibus motu proprio aliquid preecipiebant quod omnes teneret. Confirmabantur illa aliquando SCtis, vt ad leges generaliter constitutas eo propius accederent, cum aequum visum esset senatum vice populi consuli, saepe vero etiam, et tandem indubitate ex sola principis voluntate vim haberent. In constituendo iure solebant principes iurisperitos in consilium adhibere, et hi vicissim ius e constitutionibus principum repeteret, quod e Digestorum libris satis notum est.

§. VII.

IURISCONSULTORVM sub libera republica magna Studia fuerat dignatio, magna in iudiciis auctoritas, responſa e-contraria
nim eorum valebant velut oracula ciuitatis, et sub prin-
cipatu multum intererat ut iudicia principati velificaren-
tur. Viuebant sub Augusto duo decora pacis, Ateius
Capito, et Antistius Labeo, animis et studiis valde dissi-
miles. Labeo incorrupta libertate, et ob id fama cele-
brator. Capitonis obsequium dominantibus magis pro-
babatur. *TACIT. Ann. III, 75.* De Labeone scribit Capi-
to apud *GELL. XIII, 12.* Agitabat hominem libertas qua-
dam nimia atque vecors, usque eo, ut diu Augusto iam
E *prin-*

principe et rempublicam obtinente, ratum tamen penitumque
nihil haberet, nisi quod iustum sanctumque esse in Romanis
antiquitatibus legisset. Capito contra adeo seruulis ingenii
erat, vt, cum L. Ennium, equitem Romanum, maiestatis
postulatum, recipi inter reos Tiberius Cæsar vetus-
set, palem id aspernaretur Capito, quasi per libertatem.
TACIT. Ann. III, 70. Pro diuersitate studiorum in di-
uersa apud Augustum erant gratia. Capitoni consulatum
accelerauerat Augustus, vt Labecem dignatione eius
magistratus anteiret, TACIT. l. c. c. 75. Labeo postea,
cum offerretur ei ab Augusto consulatus, noluit hono-
rem suscipere. l. 2, §. 47. D. de O. I. Hae dissensiones ad
ius publicum pertinebant.

§. VIII.

Responfa
pruden-
tium.

CVM itaque ante Augusti tempora, qui fiduciam
studiorum suorum habebant, consulentibus responde-
rent, rationem hanc mutabat Augustus, constituendo vt
ex eius auctoritate responderent, et ex illo tempore ius
respondendi peti pro beneficio coepit. Cum olim ICti
aut scriberent iudicibus absentibus, aut testarentur praef-
sentibus, ex novo instituto responsa signata dabant, et
publice primas scripsit Masurius Sabinus. l. 2, §. 47. de O.
I. Potestatis respondendi a Cæsare petendae ratio erat,
vt maior iuris auctoritas haberetur, §. cit. seu vt iudici-
bus recedere a responso non liceret, §. 8. I. de I. N.G. et
C. quod cum verum esse omnes fateantur, non est cur
disputetur, num veram rationem reddiderit Pomponius.
Quod vero alii verius esse dicunt, Augustum id egiisse, vt
ICtorum opera ad inflextendas ad nouum statum leges,
et ad euentendum regnum praetoris vteretur, adeo di-
uersum non est a ratione Pomponii, vt potius per aucto-
ritatem responsis datam id ipsum consequeretur, vt leges
te

et iudicia nouo statui accommodaret. Per constitutionem Valentiniani III. in l. vn. C. Theod. de resp. prud. quinque ICtorum scriptis auctoritas legum data est.

§. IX.

DISSIDEBAVNT Capito arque Labeo inter se etiam *Sectae* in doctrina iuris priuati. Capito in his, quae ei tradita ICtorum, fuerant, perseverabat. Labeo ingenii qualitate et fiducia doctrinae, qui et in ceteris sapientiae operam dederat, plurima innouare instituit, hinc diueras *sectas* fecerunt. l. 2, §. 47 de O. I. Sectae nomen demum acceperunt a discipulis, Sabino et Cassio, qui Capitonis, et Proculo, qui Labeonis castra sequebatur. Ex dissensionibus oriuntur sectae, si plures eandem doctrinam constanter amplectuntur et defendunt. Operam dederunt viri eruditii, ut causas dissensionum inuestigarent, et ad certa capita reducerent, et in eo quidem conueniunt, sectam alteram aequitatis studiosam magis, alteram stricti iuris tenacem fuisse, in applicatione vero contrariis sententiis inter se pugnant. conf. Ill. I. F. EISENHART in Hist. Iur. litter. C. III, §. 33, et C. XXV, et auctores ab ipso allegati.

PERIODVS III.

IVRIS PRUDENTIAE ROMANAE SVB IMPERATORIBVS

SECTIO II.

AB HADRIANO AD CONSTANTINVM M.

§. I.

M^ER^VIT Hadrianus Imperator, iurisprudentiam Ro- Instituta manam in nouam formam redigendo, nouumque Hadriani decus in forum Romanum invehendo, ut aetas eius, ab histo

E 2

histo

historiae scriptoribus, ad nouam fatorum iurisprudentiae epocham constituendam insignis habeatur. Regnum forense praetorum sub libera republica solitus fuerat, quam ut iurisdictioni caste integreque exercenda attemperatum fuisset. Ius honorarium annuis non solum mutationibus fuerat obnoxium, sed etiam iidem praetores ex annuis suis edictis non perpetuo ius dicebant. Non ita septi erant legibus, vt non potuissent multa ad gratiam et odium referre. Antecessores Hadriani rem, quo prius fuerat loco, reliquerant, nihil igitur sectione precedente de iure honorario peculiariter commemorandum habui. Hadrianus demum, labem inueteratam sanatus, ius incertum ipsamque iurisdictionem ad certam perpetuamque formulam adstricturus, fundum ipsum iurisprudentiae innouauit, et Ictis nouum quasi corpus iuris tradidit, quod commentariis suis illustrarent, quo factum ut ab eius aevo facies iurisprudentiae Romanae multum immutata sit.

§. II.

Incre-
menta
princi-
patus.

IURA principatus hoc temporis interuallo magis magisque illustrata sunt. Senatus consulta, quae usque ad Alexandrum Seuerum adhuc frequentata sunt, postea rarius fieri coeperunt. Eo frequentiores emanarunt principum constitutiones, quia sine ambagibus imperare iam licebat assuetis dominationi ciuibus. *Sciendum etiam, monente HVB. Digress l. I, c. 22, §. 1, cum principes in condendis legibus auctoritatem senatus addibuisse dicuntur, id fieri solitum quoties pars aliqua iuris vetusti abroganda, vel noui aliquid maioris momenti introducendum erat, qualia fuerunt SCta Macedonianum, Velleianum, Trebellianum, Orbitianum, aliaque id genus multa. His igitur casibus exceptis, principes pro libertu suo, sine SCtis de iure consti-*
tue-

tuerunt. In primis vero iuris auctoritatem elevauit frequens descriptorum usus, qui tantus esse coepit, ut pleraque non legibus, non SCris, sed descriptis agerentur, quam ob rem Macrinus Imperator, iuris religiosissimus et amantissimus statuerat, omnia descripta veterum principum tollere, ut iure, non descriptis ageretur. IAC. GOTHOF. *Diatr. de Cenotaphio* pag. 13. Eorum tamen aequitatem defendit SCHVLTING. *Diss. pro descriptis Imp.* quam inspicere nondum mihi licuit.

§. III.

PVLCHERRIMVM Hadriani opus, quo utilissimam Edictum iurisprudentiae operam nauavit, est, quod varietati et perpetuincertitudini iuris atque iurisdictionis, quae ex diuersitate unte edictorum annuorum oriebatur, mederi studens, editum perpetuum componi curauit, ad cuius normam, tanquam ad certam perpetuamque iurisdictionis legem praetores in iure dicundo adstringerentur, et a qua ipsis recedere non liceret. Compositionem edicti perpetui ad curam suam reuocasse videtur Hadrianus, quod dissidia securarum pepererant edicta contraria, exercitum iurisdictionis turbantia; et quia ipse moris prisci erat amantissimus, Sabiniani autem in traditis perseverabant. Dedit hoc negotium Saluio Juliano, secta Sabiniano, opusque absolutum SCto firmatum est, vnde lex et ius perpetuum passim dicitur. Collectum est ex praetorum edictis, quae tum extabant, ita tamen, ut quadam omissa, alia addita, alia immutata esse, exemplis in medium allatis dum probauerint eruditii. vid. HEINECC. *Histor. Editior. L. II, c. 2, §. 6sq.* et prooem. edicti perpet. not. g. Ab hoc tempore desierunt edicta annua.

E 3

§. IV.

§. IV.

Fons alterius iuris, **E D I C T U M** perpetuum, cum plenissimum robur legum accepisset, siebat fons praecipuus, ex quo iuris disciplinam haurirent qui iuri operam dabant, cum antea a praetoris edito eandem haurire soliti fuerant. *c. c. de Leg. I. s. ICti commentarii perpetuis editum illustrabant, et in libris scribendis ordinem edicti perpetui sequabantur, l. 2. D. de stat. hom. ad cuius etiam formam reliquam et distributionem libros suos accommodabant. Ipse Iustinianus, ut Digestorum corpus ad imitationem editi perpetui conficeretur iubebat in l. 1. §. 5. C. de vet. iur. encl. adeoque ad iurisprudentiae vniuersae constitutionem vim maximam habuit edictum perpetuum. Attulisse porro creditur iurisprudentiae eam utilitatem, ut controversiae sectarum sopirentur, et ICti conciliandis discordantibus sententiis studerent, vnde nouum eorum extitit genus, qui ICti Herciscundi et Miscelliones appellantur. In eorum numero fuit *Caius*, primus concinnator Institutionum, quae tantae auctoritatis fuerunt, ut ab Antecessoribus in scholis explicarentur, et omnium sere manibus traditae, aestum disputandi minuerent.*

§. V.

I U R I S C O N S U L T O R U M huius temporis, ut ob scientiam magna est celebritas, ita eorundem in republica spectata fuit dignitas. Imperatores eos in consilio haberent, et rescripta principum fere nil fuere aliud quam responsa ICtorum ad libellos principi oblatos. Manserunt in possessione gratiae et auctoritatis usque ad Alexandrum Seuerum, post cuius tempora principes consiliis ICtorum ut desierunt, corumque oracula obmutuerunt. Non approbatabat Hadrianus institutum Augusti, ut his respondendi pro beneficio peteretur, sed viris praetoriis,

toriis, id sibi expertentibus, rescribebat: *si quis fiduciam sui haberet, delectari se, populo ad respondendum se praeparet.* l. 2, §. 47 de O. I. Ex responsis ICtorum qui sub Imperatoribus floruerunt, post habitis antericribus, uno altero excepto, pandectas collegit Tribonianus, quem idecirco non culpandum esse, oratione auspicali docuit Scultingius, quae Iurispr. Antejustinianae subiecta est.

PERIODVS III.

IVRIS PRVDENTIAE ROMANAЕ

SVB IMPERATORIBVS.

SECTIO III.

A CONSTANTINO M. AD IVSTINIANVM.

§. I.

ANTIQUAE Romae iura ac priuilegia vehementer continebat Constantinus M. condendo nouam Romam, perii multaque, praeter sedem imperii illuc translatam, senatum et aequalibus cum antiqua Roma priuilegiis honorando. Iam itaque ipsa illa potestatis umbra, quac senatu populi adhuc reliqua fuerat, penitus evanescerat, cum non amplius imperaret, sed leges aliunde acciperet. Consulatus ita disiungebatur, ut alter consul esset Romae, alter Constantinopoli, ne integrum antiquae Romae esset, ad pristinam regiminis formam denuo aspirare. Senatus nouae Romae, ipsa sua constitutione officiebat auctoritati senatus urbis, eumque admonebat, potestatem integrum in parte dimidia non residere. Nullum itaque superest eorum argumentorum de quibus sectione I et II ob iuris pristini reliquias sub imperatoribus praecipendum erat,

sed

sed omnia redeunt ad differendum de constitutionibus principum, et quae illis acciderunt.

§. II.

Collectio-
nes con-
stitu-
tio-
num. **CONSTITUTIONES** principum sensim paullatim-
que factae erant potissima pars iuris civilis, quo maiori-
rem enim principes potestatem sibi arrogarunt, eo ma-
gis frequentate sunt constitutiones. Continebant illae ius
nouissimum, quod in omni negotiorum publicorum et
priuatorum administratione sequendum erat, ideoque
multorum commoditatibus consulebatur, si in codicem
aliquem collectae exstarent. Opera hac in se susceptra ce-
lebritatem nominis adepti sunt duo ICti, Gregorius et
Hermogenianus, collectiones suas Codicis nomine indi-
gitantes, qui ab auctoribus, priuato studio illos colligen-
tibus, Gregorianus et Hermogenianus denominantur.
Non dubitatur tamen, utrumque Codicem, ipsorum im-
peratorum consensu, auctoritatem in foro et iudiciis ob-
tinuisse. Quia Iustinianus omnem ipsis auctoritatem,
quam in iudiciis tenuerant, abrogauit, non integri ad nos
peruenerunt, sed fragmenta tantum eorum, quae notis
illustrata A. SCHVLTING *Iurisprudentiae Ante Iustinia-*
neae iugleruit.

§. III.

Codex **GREGORIVS**, ut vulgo appellatur, vel potius Gre-
Gregori- gorianus, hoc enim nomine citatur in *Collat. Mof. et Rom.*
anus. *leg. tit. 1, §. 8 seqq.* alibique, antiquior collector constitui-
tionum videretur, quia, vbi codices citantur, priore loco
ponitur Gregorianus. *Constit. de nou. cod. fac. pr. et de Iu-*
stin. cod. confirm. §. 1. Complexus est codice suo consti-
tutiones imperatorum ab Hadriano ad Diocletianum et
Maximianum usque, vnde sub illis vixisse videretur, et for-
te

te viuendo non attigit tempus illud, quo Constantinus M. imperium solus adeptus est: certe non erit Gregorius ille, qui sub Constantino M. A. C. 336 fuit Praefectus praetorio, ad quem missae sunt *I. 3. C. Tb. de annon. et trib. I. 2. ib. de contrab. emt.* cum et nominibus differant. Orsus videtur ab Hadriano, quia ille nouae cuiusdam iurisprudentiae auctor extitit, condito edicto perpetuo; et in constitutionibus colligendis eo respexit, ut iudicibus et causiarum patronis opera hac nauata facilius innatesceret, quomodo constitutiones principum varia Edicti capita interpretarentur, supplerent, corrigerent, adiuuarent, murarent. Hoc si ita se habuit, minus certum est, caussam collectionis facienda vel continuandae fuisse, ut veteris iurisprudentiae gentiliciae effigies conseruaretur, quae sub Christianis imperatoribus passim nouis legibus immutabantur, quod in re obscura sentit *IAC. GOTHOFR. in prol. ad C. Theod. c. 1.*

§. IV.

FRAGMENTA Codicis Hermogeniani quae super-Codex sunt, exhibent constitutiones Imperatorum Diocletiani Hermogeniani et Maximiani, praeter tres primas, quarum inscriptio genianus non videtur sincera. Vtrique collectori eandem epocham fuisse propositam, et eorundem imperatorum constitutiones in utroque codice positas fuisse, parum probabiliter opinatus est *IAC. GOTHOFR. in proleg. ad C. Theod. c. 1.* cui enim bono id eodem tempore factum fuisse? Verius videtur, Hermogenianum codicis Gragoriani supplementum edidisse, et constitutiones recentiores adiecisse, quamvis simul concedendum sit, aliquas eorundem principum constitutiones in utroque codice extitisse, v. c. tit. de nuptiis, quod forte indicat repetitionem promulgationem, differunt enim dies et mensis et annos.

F

Cost.

Coff. Vixit Hermogenianus sub Constantino M. eiusque liberis, meminit enim in l. 17. D. de minor. prohibitae appellationis a praefectis praetorio, quod Constantinus M. in l. 16. C. Tb. de appell. constituit. Aliud exemplum iuris a Constantino M. vel ab eius liberis introducitur, quod ab Hermogeniano memoratur, est in l. 23. D. de manu-miss. vindict. collata cum l. 1. C. de formul. et impetrat. act. sublat. Hermogenianus, compilator Codicis, idem censendus est cum auctore Epitomarum iuris. De his codicibus eorumque collectoribus, præter cit. IAC. GOTHOFR. in proleg. Cod. Theodos. vid. A. SCHULTING ad tit. 1. Cod. Gregor. in Iurispr. Ante Iust.

§. V.

Codex
Theodo-
rianus.

AD imitationem horum codicum, constitutiones decim principum Christianorum a Constantini M. temporibus, publico iussu Theodosii Iunioris, per octo viros nobiles exploratae fidei et famosae doctrinae, in codicem collectae sunt, qui A.C. 438 promulgatus, et ab Imperatoris nomine codex Theodosianus dictus est. Animadueterat imperator, scientiam iuris suo aeuo valde collapsam, eiusque rei causas deprehenderat copiam immensam librorum, actionum diueritatem et molem constitutionum dualium, quae sui notitiam humanis ingenis intercluserit. Iubebat itaque codicem constitutionum ea ratione confici, ut compendio breuitatis lumen legibus daretur, eumque sic confirmabat, ut post Cal. Ian. nulli liceret ad forum ius principale deferre, nisi ex suo codice. Haec tamen sanctio tantum intelligenda videtur de constitutionibus imperatorum Christianorum, in codicem Theodosianum non relatis, non vero extendenda ad codices anteriores, Gregorianum et Hermogenianum, quos potius continuauit Theodosius, et ex quibus adhuc

adhuc Iustinianus constitutiones quasdam hausit. Eundem missum esse in Occidentem, facile colligimus ex *Nou. Theod. II.*, quae docet constitutiones nouellas ad Valentianum III transmissas, ut earum vis etiam in occiduis partibus inciperet obseruari. Promulgatum autem esse, argumento est *Nou. 13. Valent.* qua nouellas Theodosii ad se transmissas confirmat; addita ratione: *ut sicuti eterque orbis individuis ordinacionibus regitur, iisdem quoque legibus temperetur.* Persequitur codex Theodosianus quinque libris prioribus ius priuatum, reliquis ius publicum. Plura de eo tenenda discutit *I. GOTHOFR. in proleg.*

§. VI.

MULTAS prouincias imperii Occidentalis seculo V Edictum occupauerant gentes, barbarae dictae, sed non ita barbarae Theodori non intelligerent, ius civile populi Romani rectius ericte constitutum, quam quo ipsi inter se vrebantur. Quod vulgo dicitur, victores ea humanitate vsos in deuictos Romanos, vt eis usum iuris Romani permetterent, videatur latius patere, certe quorundam respectu, vt ipsi leges Romanas plane adoptarent, iuraque sua ad sanctiones iuris Romani inflechterent. Italiam subegerant Ostrogothi. Theodoricus rex subditis suis Gothis et Romanis promulgabat Edictum, centum et quinquaginta quatuor capitibus constans, quod totum ferme ex legibus Theodosianis collectum erat, vnde etiam Gelasius Papa, apud *GRATIAN. c. 12. dist. 10* regi Theodorico scribit, quod leges Romanorum principum in negotiis hominum custodiendas esse praeceperit: ipsique reges professi sunt, se delestant legibus Romanis viuere. vid *GOTHOFR. proleg. C. Theod. c. 3.* Haec sunt eiusmodi, vt Gothos in Italia legibus Romanorum potius se subiecisse, quam eas suis moribus attemperasse appearat.

F 2

§. VII.

§. VI.

Breuiarii
rium Alarici.

PVTO idem consilium fuisse Alarico, Visigothorum regi in Gallia, cum iuberet nouum iuris corpus, provinciis sibi subiectis promulgandum, confici, quod Breuiarii legum Romanarum appellatione venit. Collectum illud ex codicibus tribus Gregoriano, Hermogeniano et Theodosiano Nouellisque, ex Caui institutionibus, Pauli receptis sententiis et Papiniani libris. Excerpta ex Vlpiano idem continuaisse, non ita certum videtur SCHVLTING. in not. 1. Tam operosa industria, in iure Romano compilando collocata, magis arguere videtur propositum introducendi ius Romanum apud Gothos, quam flectendi Romanos ad mores Gothorum, atque hanc gloriam libenter vindico praestantiae iuris prudentiae Romanae. Verum est, adiecas esse passim interpretationes Gothicas, menti legum haud raro parum consonas, sed nouimus etiam ex Commonitorio, scopum fuisse, ut, quod in legibus videbatur iniquum, corrigeretur, et omnis legum Romanarum et antiqui iuris obscuritas, in lucem intelligentiae melioris deducta resplenderet, inde vero non conficitur, Alaricum Romanos ad Gothorum mores trahere voluisse. Compositum est Breuiarium per Goiaricum comitem, non vero per Anianum, qui tantum exemplaria edidit, hoc est subscriptione sua munivit, ut authentica haberentur. Dissentit SCHVLTING. in praefat. Iurispr. Ante Iust. sed accuratiores ei non concedunt. Publicabatur Breuiarium addita sanctione, ut iuxta eius seriem caussae deciderentur, nec aliud liceret aut de legibus aut de iure in disceptationem proponere. Tuit haec collectio apud scriptores sequentium temporum nomen Corporis Theodosiani, legis Theodosianae, legis Romanae, illique debemus, quod deperditis ICtorum libris et genuinis principum constitutio-
nibus,

nibus, reliquiae tamen vetusti iuris civilis ad nos per-
uenerunt.

§. VIII.

ETIAM apud Burgundiones ius Romanum publicam Responsa
auctoritatem nactum esse, persuadet Liber responsorum Papia-
Papiani, si is fuit e Burgundionibus, quod fere conue- ni-
nit, quia ordo titulorum, in quos distributus est, legi
Burgundionum plerumque responderet: quamquam plane
sunt qui existimant, inscriptionem libri deberi imperitis
librariis, ob fragmentum aliquod Papiniani, quod pri-
mum locum occupabat, toti libro titulum praefigentibus.
Tempore Gundebaldi responsorum librum esse consigna-
tum, verius forte quam quod iussu eius scriptus sit; ita
enim est compoſitus, ut compilator ad interrogations
Comitis cuiusdam respondere videatur, quid in cauſa-
rum litiumque iudiciis tenendum sit secundum praescri-
pta iuris Romani, additis illis, quea per leges gentis
suae specialius definita erant. Sic tit. 2. legitur *Nihil*
evidenter lex Romana constituit: Dominus noster statuit ob-
seruari. Et in fine tit. Hoc ex praescripto Domini regis
convenit obseruari. Obtinuit itaque apud Burgundiones
ut duas haberent leges, Gundobaldicam, moribus patri-
is inhaerentem, et Romanam, in viuum prouincialium,
scuti etiam Franci duas habebant leges, Romanam atque
Salicam. Patet hinc, utramque gentem non ita conces-
sisse in leges Romanorum ut Gothi fecerant, sed tantum
permisisse ut illis viuere liceret.

§. IX.

PERDVCTA nunc est tractatio mea ad illum temp[or]e Conchi-
ris articulum, quo vniuersae iurisprudentiae Romanae sio.
magnam mutationem atrulit, nouumque splendorem
conciliavit Iustinianus Imperator, capto pulcherrimo
F 3

con-

confilio, omne ius Romanum, tot volumini bus pruden-
tum subtiliter discussum, tot constitutionibus principum
aliter atque aliter sanctum, in decorum ordinem redi-
gendi, et ad caussarum forensium legitimam decisionem
aprandi. Opus hoc ita perfecit, ut post longum seculo-
rum decursum gentes cultissimae non aliud perfectius
agnoscant legum ciuilium systema, ideoque in foris suis
constantii illud usu seruent. Quae ad illud pertinent, sci-
tu maxime sunt necessaria, sed nimis prolixum foret,
campum hunc patentissimum ingredi, et Iustiniani labo-
res, reliqua que iurisprudentiae, quae ab eo appellatur,
sata persequi. Hac quidem vice intra terminum, quem
iam attigi, me contineo. Quia tamen in historia iuris
haec tenus exposita, commode enarrari non potuit, qua-
ratione tandem ars in iurisprudentiam illata, id autem in-
de evenit, quod Jurisconsulti animum ad philosophiam
appulerunt, necesse esse arbitror, ut, quae hac de re
praecipue notanda sunt subiiciam.

MANTISSA. DE PHILOSOPHIA A IURECONSULTIS AFFECTATA.

§. I.

Philoso-
phia Ro-
manae ex-
pla-
ta.

Non potest plene absoluta, nec satis elimata censer-
tracio de iure priuato populi Romani, nisi etiam
dicatur de eo quod gloriatur Vipian. in *I. i. D. de I. et I.*
Iureconsultos affectasse philosophiam: nam non solum ad
perfectiorem iuris Romani constitutionem lueulentae ac-
cessiones inde factae sunt, sed etiam principia quaedam
iuris, et haud pauca eius dogmata manarunt a philoso-
pha *Ictorum sententia*, quae, nisi de hac constet, recte
diu-

diudicari nequeunt. Sero autem apud Romanos recepta sunt sapientiae studia. Populus ferox, qui laudem ex armis visticibus quaerebat, et alias gentes continuis fere bellis lacescebat, virtutes otiosas, quas philosophis conuenire dicit MACROB. in *Somm. Scip.* l. 2, c. 17, indoli reipublicae suisque rebus parum conducere existimabat. Tres philosophi cum Romam legati missi essent ab Atheniensibus, et nobilissimi iuuenes ad eos audiendos conuolarent, Cato maior instabat, vt honeste alegarentur in Graeciam. Aliud Senatusconsultum, C. Fannio Strabone, et M. Valer. Messala Coss. de philosophis et de rhetoribus latinis factum, vti Romae non essent, refert CELL. XV, n, cui iungendus SVET. de Clar. Rhetor. Sapientiae studium, vetus id quidem in Romanis pronunciat Cicero, sed tamen ante Laelii aetatem et Scipionis, non reperiebat quos appellare posset nominatim. Tusc. Quæst. IV, 2.

§. II.

ATHENÆ, vt olim Romanis perentibus leges de Se insinuerant, ita etiam per legatos suos, frustra renidente Catone, Romanorum animos ad sapientiae studia inflammabant. Testatur CIC. de Orat. II, 137, saepe se ex P. Africano, C. Laelio, L. Furio audiuisse cum dicserent, per gratum Athenienses et sibi fecisse, et multis principibus ciuitatis, quod, cum ad senatum legatos de suis maximis rebus mitterent, tres illius aetatis nobilissimos philosophos misissent, Carneadem, et Critolaum et Diogenem. Itaque eos, dum Romae essent, et a se et ab aliis frequenter auditos, iidemque viri, auctoritate grauissimi, secum eruditissimos homines ex Graecia palam semper habuerunt. Inter laudes Scipionis Africani recensetur etiam a VELL. PATERC. I, 13 quod tam elegans omnis doctrinae et

et auctor et admirator fuerit, vt Polybium Panaetiumque, praeclerentes ingenio viros, domi militiaeque secum habuerit. Accedit et hoc argumentum existimationis, in qua philosophi apud Romanos fuerunt, quod viri quidam principes philosophorum salutandorum causa peregrinati sunt. M. Brutus, ornatus vberimis artibus, quas cum domo haurire non posset, arcessuit ex vrbe ea, quae domus est semper habita doctrinae. c.c. in Brut. c. 97. Pompeius, vt Posidonium videret, Rhodium profectus est. Caro Uticensis Athenodorum in Asiam adiit. E.V. OTTO, *Orat. de Stoica ICtorum philos.*

§. III.

In primis
Stoica.

INITIA philosophiae apud Romanos si respicimus, Stoicam prae ceteris sectati esse dicendi sunt. Ex tribus istis clarissimis philosophis, qui Romam venerant, Diogenes Stoicus fuit qui diceret, artem se tradere bene differendi, et vera ac falsa dijudicandi, c.c. de Orat. II, c. 38, fuitque inter eos, qui frequenter auditи sunt. ib. c. 37. Haec ars tantopere, credo, placuit, vt inde factum sit, vi post legatorum discessum Panaetius Stoicus philosophiam Romae primus doceret. Scio hoc in dubitacionem vocari a C. G. LUDOVICI, in Progr. quo Panaetii vitam et merita illustrat, sed ad argumenta eius iam respondit SCHAUMBURG Spec. I. de Philos. Pet. ICt. Stoica §. n. sgg. Et sane commorationem eius Romanam haud obscurè probat, quod Scipio eum domi secum habuit, quod teste c.c. in Brut. c. 30. Rutilius Rufus, quod item Q. Ael. Tubero eius auditores fuerunt. Panæac nomen in §. 40. de O. I. mendose legi, dudum ab aliis obseruatum est. Quod iraque Panaetius, quem c.c. Acad. Quest. IV, 33 principem prope Stoicorum, et de Offic. II, 14 grauissimum Stoicorum vocat, primus Romae philosophiam

phiam docuit, quod multos auditores nactus est, quod auctoritas eius fuit maxima, quod ex itineribus ad Stoicos deflexerunt viri maximi, argumentum est, Stoicam philosophiam fuisse primam, quae Romae caput extolleret. Quod aliae Graecorum sectae itidem affectas apud Romanos inuenierunt, paullo serius factum est. Ciceronis quidem aeuo Aristoteles a philosophis, praeter admodum paucos, ignorabatur. *Topic. c. i.* Placuit autem in primis disciplina Stoica, quod nulla secta benignior seniorque fuit, nulla amanissimor hominum et communibus bonis anterior: ut propositum si usum esse auct auxilio, nec sibi tantum, sed uniuersit singulisque consulere, vt ait SENECA de Clement II, 5. Usibus et indoli reipublicae magis accommodata fuisse, quam reliquas sectas, prolixe differit E. V. O T T O. *Orat. cit.*

§. IV.

PROPAGATIS ad Romanos sapientiae studiis, non poterant ICti A ICtis sibi adeo deesse, quin et ipsi, dicente VPIANO in l. i. D. de I. et I. philo-affectata, sophiam affectarent, hoc est cupide appeterent, et diligenter ad eam incumbenter, magno enim usui illis esse, poterat ad pulchrius effingendum illud, quod moliebantur, iuris ciuilis Romani corpus, quodque cupiebant esse elaboratissimum et omnibus numeris absolutum. Affectare est vocabulum Stoicis familiare. Philosophia sapientiae amor est et affectatio, secundum SENECA. Ep. 89. Inter alias autem philosophorum sectas ICti Romani Stoicos praecipue affectati sunt. Monuerat CVIAC. Obs. XXVI, 40, et pluribus testimoniis docuerat, Iuris auctores nostros ab Stoicis sere imbutos esse, et sic signum sustulerat ad assertio- nis huius veritatem ulterius investigandam. Fecit id ante alios EM. MELLIVS in l. i. Obs. vbi cap. 8 seqq. eruditio ostendit iuris auctores doctrinam Stoicorum sectatos, quod illi a rebus gerendis non abhorre- rent; exemplo eorum variasse, et mutasse sententiam; circa verborum proprietatem atque originem anxiis fuisse; principia quaedam juris multisque sententias ex doctrina Stoicorum petiuisse, quarum etiam praecipuae quaedam subiiciuntur. Nobilitatum est postea hoc argu- mentum doctris aliorum, in primis Ev. Ottonis commentationibus, sed limatori scrutinio illud adhuc indiget censuit, ideoque retractandum summis FRN. IOACH. WESTPHAL in *Diff. de Stoicis et Stoicorum Rom. Omnia diligentiam superaturus fuisse* IO. GOTTFR. SCHAMBVRG de *Philosophia Vet. ICtor. Stoica*, si ipsi opus ad finem perducere licuisset. Ad rem quod attinet, assat illa probatur si excutiatur quae de cele- berrimis ICtis memoriae sunt prodita.

§. V.

ORDENDVM ab illis, qui libera republi-
ca floruerunt. Fuit itaque Sub liber-
G illis tate.

illis temporibus P. Rutilius Rufus, doctus vir, Panaetii auditor, prope perfectus in Stoicis ctc. in Brut. c. 30. Fuit Q. Aelius Tubero, qui Stoicas et dialecticas disciplinas percalluerat, GELL. I, 22, Panaetio coniunctissimus, qui ad eum de dolore patiendo scripsit. ctc. de Finib. IV, 9. Fuit Q. Mucius Scaenula, iurisperitorum ille eloquentissimus, et eloquentium iuris peritissimus, Panaetii auditor, dicit enim de se ipso, de Orat. I, 17, se, cum Rhodium venisset, cum Apollonio ea, quae a Panaetio acceperat, contulisse. Fuit Q. Lucil. Balbus, qui tantos progressus habebat in Stoicis, ut cum excellentibus in eo genere Graecis compararetur. de Nat. Deor. I, 6. Fuit Serv. Sulpicius, princeps ille ICTorum, quem Stoicorum disciplinam secutum esse inde probat EV. OTTO in Diff. de Serv. Sulpic. quod et praecoptores Stoicos habuit, et Rhodium se contulit ad Posidonium. Fuerunt adhuc alii, C. Aquilius, Aul. Offilius, Alfen. Varus, Aul. Castellius, Trebatius Testa, quos omnes Stoicos fuisse inde conficteur, quod Stoicam disciplinam ad jurisprudentiam transtulerunt. vid. SCHAVMBVRG Spec. III.

§. VI.

Sub imperio.

SVMMA rerum ad vnum delata, vt philosophiae generatim, ita in primis sectae Stoicae fortuna laeta incrementa cepit. Imperator Augustus hortationes ad philosophiam ipse composuit, SVET. c. 85, et Athenodoro Stoico, mitiora semper consilia sibi suggesteri, impense fauit. Nero Senecam habuit praecoptorem, et optimus fuius quamdiu eius inonitis ebtemperauit. Sub Antoninis publica philosophia salaria constituta sunt, et Marcus Antoninus plane habitum philosophi assumit. Iurisconsulti disciplinae Stoicae adhaerere perrexerunt, illorumque hoc aeno princeps, Antitius Labeo, quia philosophiae operam dederat, plurima in iure innoicare instituit. Autore GELL. XIII, 10, in grammaticam fese atque dialecticam, litterasque antiquiores altioresque penetrauerat, latinarumque vocum origines rationesque percalluerat, eaque praecipue scientia ad endandos plerosque iuris lageos vtebatur, eoque ipso Stoicorum sapientia se imbutum ostendebat. Et quidem quamdiu diversae ICTorum scholae nouum erant constitutae, doctrinam Stoicorum promiscue fecuti sunt. Vbi vero dissidentes fuerunt Proculeianorum et Sabinianorum scholae, magis a partibus Stoicorum stetisse Proculeianos, pluribus argumentis pugnat MERILL. Obj. I, 1, c. 20 fqq. cui additipulatur EV. OTTO, Orat. de Stoica ICTorum philo pag. 508 Edit. Traict. Sabinianos contra Stoicis quodammodo opponit Arrianus ad Epist. I, 4, c. 3 inf. vbi postquam Stoica quaedam praecpta inveni assit, his, inquit, oportet obedientem vivere, non Masuri aut Cassi legibus.

§. VII.

§. VII.

NON tamen existimandum est, ICtos philosophiam affectantes, **Vera, non omnia Stoicorum placita adoptasse, aut omnes partes philosophiae simulata.** Graecanicae studio suo complexos esse. Dicit propterea *Vlpianus in cit. l. i.*, iurisconsultos veram philosophiam, non simulatam affectare, eiusque indolem sic describit: Iustitiam namque colimus, et boni et aequi notitiam profitemur, aequum ab iniquo separantes, hicatum ab illico discernentes: bonos non solum metu poenarum, verum etiam praemiorum exhortatione efficere cupientes. Magna erat *Vlpiani* aevo hominum multitudo, qui se philosophos iactabant, ut praemiis illis fuerentur, quae Caesarum munificentia philosophis decreuerat, et ut sapientiae existimationem ab aliis captarent. Sed iidem illi plerunque otio erant dediti, vitilitigatores, fardidi, aliquique vitiis foedi, publicis vero commodis nulla in re consulebant. Horum philosophiam simulatam pronunciabant iurisconsulti, Viri, vitam et virtutes actuosaſ ſectantes, rempublicam adminiftrantes, in foro verfantes, conciuibus opem ferentes, leges et iura tuentes, ad bonum commune ciuitatis promouendum curas omnes cogitationesque conferentes. Sic quoque *GELL. X. 22.* illam philosophiam, quae virtutum omnium disciplina est, quaeque in publicis simul et priuatis officiis excellit, ciuitatesque et rempublicam, si nibil prohibeat, conflatuerunt, et fortiter, et perite administrat, distinguunt a futili atque puerili meditatione argutiarum, nihil ad uitam neque tuendam neque ordinandam promouente, in qua, qui conſenſunt, male feriatos homines appellant, quos philosophos esse vulgus putat. Ab his adeo alieni erant iurisconsulti, ut etiam Stoicos in multis defererent, quia eorum disciplina cum vita ciuili non sat congruebat, quod plenius edidisset *EV. OTTO in Orat. de vera ICtorum philosophia.*

§. VIII.

DEBET vero iurisprudentia Romana philosophiae a iureconsultis Ars in iuſſectatae, quod in artem redacta est, cum antea non ultra progressi rispr. illeſſent ICti, quam ut compilarent ius ex disputationibus, inuentis et reſponsis prudentum constitutum. Ars denotat formam systematis, in quo veritates connectuntur, ut propositiones anteriores fiant principia cognoscendi sequentium. Auctor facti pulcherrimi fuit Seruius Sulpicius, de quo scribit *cic. in Brut. c. 41.* iuris civilis magnum usum apud multos fuisse, artem in hoc vno. Addit, Seruum hoc effecisse, quia eam didicerat artem, quae doceret rem vniuersitati tribuere in partes, latenter explicare definiendo, obscuram explanare interpretando; ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam,

qua vera et falsa iudicarentur, et quae quibus positis essent, quaeque non essent consequentia. Ars de qua haec praedicantur, est Dialectica, quam Seruius a Stoicis acceperat, et ad ius ciuale rectius constitutum transtulerat. Ab hoc itaque tempore iurisprudentia Romana perfectionem illam attingere coepit, quae luminibus Ictorum, qui stante libera republica claruerant, offecit, et ob quam factum est, ut responfa illorum, qui sub imperatoribus floruerere, in pandectas referrentur. Ars iuris postulabat, ut omnia regulis includerentur atque describerentur, vi, quaecunque noua causa consultatione accideret, eius tene-
re ius licet, et confidet a quo capite id esset repetendum, atque hoc fieri coepit per Seruum. cf. EV. OTTO *Diss. de Seruo Sulpicio*. pag. 57.

§. IX.

Scholae
iuridicæ.


POSTquam ars in iurisprudentiam illata erat, poterat illa in scho-
lis publice doceri, cum antea ii qui docerent, eodem tempore et di-
scitibus satisfaccerent, et consilientibus. c. Orat. c. 42. Hinc sub Ca-
esaribus scholas iuridicas in imperio Romano exortas esse legimus, Ro-
manam, Beryensem et Constantinopolitanam, quas scholas a retro
principibus privilegio decendi iura munitas fuisse, dicit IUSTINIANVS
in *Constit. Omnim. §. 7.* Et quidem Romae Masur. Sabinus, propter
angustias rei familiaris iura ita docere coepit, ut plurimum a suis audi-
toribus sustentaretur, l. 2, §. 47 de O. I. Sub Antonino Pio, cum GEL-
LIUS in lucem fori profiret, erant Romae stationes iuri publice docen-
tium aut respondentium. N. A. XIII, 13. Sub Alexandro Romae iura
docentes remissionem publicorum munerum habebant, teste MODE-
STINO in l. 6, §. 12 *D. de excusat.* itaque tunc publica auctoritate doce-
bant. Cumque magni confluxus iuuenientium prouincialium Roman fie-
rent iuri discendi causa, quod per omnem Romanum imperii ambitum
vigebat, promulgabatur a VALENTINIANO l. 1. Cod. Theod. de stud. Li-
beral. V. R. et C. multa capita faciens, ad continentium in officio stu-
diosam iuuentutem pertinentia. Tempore Antonini Pii primus institu-
tiones iuris scriptit Caius, discendis docendisque legitimae scientiae
elementis vñi futuras. vid. F. C. CONRADI *Orat. de scolae Rom. fatig.*
Beryensis scholas origo incerta, verosimillime refertur ad Alexan-
drum Seuerum, priuilegiuni hoc conciliante Vlpiano, vitrumque vero
appellente Syriæ natali soli charitate. CONRADI, *Orat. cit.* Constanti-
nopolin tertiam iuriis Academiam fecit Constitutio Theodosii in l. 3.
*Cod. Theod. de stud. liber. urbis R. et C. faciendo reliquis artium pro-
fessoribus duos, qui iuriis ac legum formulas panderent. Praeter has*
viribus leges alibi doceri, vetuit etiam

Iustinianus cit. §. 7.





WIP



Hier. 1 num. 3

22
DISPV TATIO IVRIDICA
DE

1765, 17
7

IVRE PRIVATO
POPVLI ROMANI

QVAM
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS
CONSENSV

J. II
P R A E S E S
D. CAROLVS ANTONIVS KEVFFEL
IN IVLEO MAIORI

A. D. XIII APRILIS M D C C L X V
PUBLICAE ERUDITORVM DISQVISITIONI

SUBMITTIT
RESPONDENTE
FRANCISCO VLRICO ALBAVM
NAMEVRGENSI
SOCIET. TEAT. DVC. MEMBR. ORDINARIO.

HELMSTADII

CITERIS VID. P. D. SCHNUERRII, AGAB. TYPOGR.

